

Interpretationes clinicae observationum selectarum. Quas ex diariis suis academicis ad propriam epitomen De curandis hominum moribis. Pars I. / Joannes Petrus Frank.

Contributors

Frank, Johann Peter, 1745-1821.

Publication/Creation

Tubingae : Sumtibus J.G. Cottae, 1812.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/drgb32kp>


License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>









Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b29336119>

INTERPRETATIONES CLINICAE

OBSERVATIONUM SELECTARUM,

QUAS

EX DIARIIS SUIS ACADEMICIS

A D

PROPRIAM EPITOMEN DE CURANDIS HOMINUM MORBIS

ILLUSTRANDAM COLLEGIT

JOANNES PETRUS FRANK, M. D.

PARS I.

Cum VII. Tabulis Aert Incisis.

T U B I N G A E M D C C C X I L

Sumtibus J. G. Cottae.



LECTORIBUS.

Mirabantur quondam non pauci, exprobrabant aliqui, nos, etsi clinicis Institutis in quinque Academiis, per totidem fere lustra praefixos, nec illorum tamen annales evulgasse, nec medendi rationem nobis propriam exemplis publice expositis illustrasse. Nec tamen aut Boerhaavius, aut Burserius, aut Tissetus, meliori nobis exemplo fuerunt; nec si Haenius, Stolius, aliquique celebres scholarum medicarum antistites, cum gloria hoc

dederint, nulla igitur nobis excusatio conceditur. Ac primo quidem, artis, quae his in Institutis sequebamur, paecepta, quod ultimi hi viri non fecerant, in Epitome, quae universam morborum curandorum doctrinam amplectitur, exposuimus. Secundo, cum tirones nostri in Italia, librorum, imprimis exterorum, copia minus essent instructi, stylum illum laconicum, paelectionibus academicis praescriptum, hinc illinc deserentes, historias morborum, in ipso Instituto clinico quondam pertractatorum, non paucas illi operi, aut integras intertexuimus, aut saltem levi calamo tetigimus. Nec minor observationum nostrarum numerus, in diversis, quas seorsim publicavimus, orationibus nostris academicis prodivit *). Tertio, Scriptores rerum medicarum, ejusmodi in scholis

*) Continentur istae in XII. delectus nostri opusculorum, Ticini editi, voluminibus.

occurentium, non aliis, iis gravissimis, ut nos constanter fuimus, ab officiis distracti, interrupti, impediti fuerunt. Fateamur interim, ab aliis nos etiam rationibus, ne ejusmodi in annalibus, operam collcare ambiremus, abductos fuisse. Quodsi nempe Haenii ac Stollii (ut qui, praeter aegros Instituto clinico susceptos, nosocomii amplioris simul illos ipsi curabant) rationes, ut vocant, medendi excipiamus; ex duodecim aut viginti lectulis, in usum academicum occupatis, vel morborum epidemicorum historiae parum lucis accendi potest; aut morbos unius modo speciei, hinc instruendis in omnibus, unius anni scholastici spatio, tironibus parum accommodatos, in ejusmodi Instituta clinica suscipi oportet. Accedit et istud, quod clinices antistes, scriptoris his de rebus non ignobilis sibi vices periodice assumens, morbos

ordinarios atque populares, pro dissentium necessitate longe praeferendos, posthabere, rariores potius, et doctorum attentionem magis ferientes venari, ac pharmaca saeculorum auctoritate coronata, novis, plerumque tamen ephemerae celebritatis, remediis sacrificare assuescat. Sed criminacionem hanc annalium scriptor clinicorum refutat, morborumque pro generali magis tironum instructione debite selectorum historias elaboret! Has quidem juventus medica cum fructu meditabitur; viris autem in artis exercitio jam satis versatis, rari natantes in gurgite vasto videbuntur, ac medicae incrementum scientia abhinc aut nullum, aut paucum saepe erit.

Atque haec, ne nobis ipsis magis, quam ne aliis annalium scriptoribus succederent, ad aetatem usque senilem, quae cribro in rebus medicis transmittendis quidquam angustiore

atque rariore uti solet, veriti sumus. Cum vero insignem observationum, quas vel nos ipsi instituimus, vel quas amici auditoresque nostri nobiscum communicare voluerunt, copiam percurrendi occasionem nacti sumus; inter illas non solum raries, sed eas quoque selegimus, ex quibus major in scientiam salutarem utilitas redundet.

Saepe vero in mentem nobis venit, auditores nostros, ex illis, quae ad lectulos, circa morbos susceptos, vel ex propria, vel ex aliorum experientia, absque omni affectatae eruditionis ostentatione, extemporaliter potius locutione usi, adducere solebamus, messem saepe uberiorem, quam quidem primo intuitu casus nobis oblatus promittere videbatur, fecisse; atque in hac nostra docendi methodo, tirones pretium quondam majus, quam in singularium morborum sicciore ac abstracta nimis con-

sideratione posuerunt. Credebamus igitur, historias morborum, quas hic tradimus, eadem face, qua quondam ad lectulos utebamur, illustratos, ac, omissis aut facilitioris indaginis, quae tirones solum respiciunt, explicacionibus, aut doctis magis quam utilibus commentariis, brevi modo sed nervosa dictione cum epicrisi exppositas, academicos Instituti clinici labores posse quadantenus supplere; ut igitur, quod nobis, ob aetatem, ad lectulos ulterius non licet, in scriptis praestare conaremur.

In ea quidem opinione semper et nos sumus versati: medicum jam projectae quidquam aetatis, ideo non posse ab artis exercitio sese, absque propriae laesione conscientiae subducere, quod errores in aetate juvenili, ob majoris experientiae defectum, commissi, in simili aetate resaciendi, et ea, quae caro saepe provocibus pretio didicimus, in damni

restitutionem convertenda sint. Etsi vero flebili nimis physicae fragilitatis argumento nostrum a publico artis exercitio secessum excusare valeamus; credimus tamen, indefessa et fideli eorum publicatione, quae nos ad meliorem rerum medicarum cognitionem perduxerunt, nos posse magis, quam si paucis adhuc aegris opem nos ipsi ferre vellemus, de humano genere mereri.

Cum vero doctrina de sedibus et causis morborum artis medicae progressus eximie promoverit; observationes, cadaverum sectione illustratas, hoc in opere primo fere loco habendas esse censuimus; ac praceptis circa morborum historias circumscribendas a nobis quondam propositis *), fideles, ut Lectorum otio, saepe haud multo, parceremus, brevitatis maxime rationem habuimus.

*) De circumscribendis morborum historiis oratio academica, Ticini Reg. 1791 recitata.

Quamvis opus hoc illustrandis variis locis Epitomes nostrae de curandis hominum morbis destinatum sit; modo parum tamen, in referendis observationibus, ad ordinem in illa nobis praescriptum, nos restringere voluimus; sed ubi vitam nobis viresque Superi prorogaverint, uni vel alteri, quae hoc primum interpretationum clinicarum volumen sequentur, libris, indiscriminatim nunc has, nunc illas, Lectorum judicio ordinandas committemus.

Cur latino magis, quam patrio idiomate utamur, nisi dignum sit, quod et ab Exteris legatur, opus, nihil nos praeter justum desiderium, ne lingua viris doctis per omnem Europam quondam communior, tandem prorsus inter nos obsolescat, in propriam excusationem adducendum habemus.

Inconsultam Viennensis polyscriptoris, avidique typographi, praelectionum nostrarum, ex quorundam auditorum nostrorum calamis festinanter et absque judicio decerptarum, editionem, sicuti nostro pro labore haud agnoscimus, ita bonorum omnium justo vituperio exponimus.

Dabamus Friburgi, in Brisgovia, die 15^a mensis Aprilis 1811,

I n d e x.

	Pag.
Praefatio.	III
I. Febris quartana duplex rebellis, cum balneo sanata.	1
II. De febribus periodicis perniciosis animadversio.	5
III. Febris cardialgica cum typo quartanae.	12
IV. De febre intermittente inflammatoria.	16
V. Observatio prima.	19
VI. Observatio secunda.	21
VII. Observatio tertia.	23
VIII. Febris tertiana inflammatoria cum pleuritide.	26
IX. Peripneumonia periodica.	36

	Pag.
X. Observatio prima.	33
XI. Observatio secunda.	37
XII. Peripneumonia periodica asthenica.	46
XIII. Peripneumonia subcontinua nervosa.	51
XIV. Peripneumonia periodica.	58
XV. Pleuritis periodica.	61
XVI. Peripneumonia cum oesophagi abscessu.	64
XVII. Peripneumonia cum oesophagi tumore le- thalii.	71
XVIII. De peripneumonia exitu in gangraenam	74
XIX. Gangraena pulmonum et musculorum tho- racis.	76
XX. Foetor quasi gangraenosus pulmonis inflam- mati.	82
XXI. Peripneumonia per exanthema pustulosum judicata.	88
XXII. Peripneumonia copioso urinae fluxu judicata. 89	89
XXIII. Peripneumonia undecies repetita.	90
XXIV. Pleurae inflammatae gangraena.	96
XXV. Peripneumonia senum.	101
XXVI. Observatio prima.	102
XXVII. Observatio secunda.	107
XXVIII. Bronchitis lethalis.	110
XXIX. Encephalitis.	128

	Pag.
XXX. Encephalitis per erysipelas faciei judicata.	130
XXXI. Cerebri abscessus post otitidem.	142
XXXII. Abscessus cerebri cum paralyse.	145
XXXIII. Vomitus lethalis ex encephalite.	158
XXXIV. De glossitide.	160
XXXV. Glossitis catharrhalis.	161
XXXVI. Glossitis cum suppuratione.	164
XXXVII. Glossitis cum suppuratione	168
XXXVIII. Glossitis ex foliis Nicotianae tabaci.	172
XXXIX. Glossitis cum gangraena.	177
XL. Tumor et ulcus laryngis.	182
XLI. Cynanche laryngea cum bronchiorum hydrope acuto.	188
XLII. Cynanche laryngea cum ulcere et carie.	194
XLIII. Cynanche faucium ulcerosa in tracheitidem conversa.	206
XLIV. Scirrus glandulae thyreoideae lethalis.	216
XLV. Febris continua nervosa, Phricodes Veterum?	222
XLVI. Vesica urinalis lacertosa.	228
XLVII. Retentio urinae ureterica.	235
XLVIII. Retentio urinae ureterica.	241
XLIX. Retentio urinae cum vesicae gangraena.	245

	Pag.
L. Vesica urinaria cordis figuram aemulans.	251
LI. Carcinoma vesicae urinariae.	258
LII. Vesica urinalis in crumenam lateralem extensa.	267
LIII. Altera vesica urinalis in crumenas extensa.	281
LIV. Vesica urinaria in cava duo divisa.	283
LV. Scirrhus vesicularum seminalium.	288
LVI. Scirrhus prostatae in vesicam urinalem prominens.	292
LVII. Scirrhus uteri virginei.	295
LVIII. Cephalaea lethalis ex cranii vitio.	301
LIX. De diabete adnotatio.	308
LX. Diabetes melitus periodum annuam observans, gravissimus.	311
LXI. Diabetes chylosus?	337
LXII. Diabetes cum dolore pleuritico.	347
LXIII. Diab̄tes cum enuresi.	355
LXIV. Cystidis felleac dilatatio morbosa.	360
LXV. Vesiculae felleae inflammatio et gangraena.	365
LXVI. De trismo infantum Tergesti endemico.	372
LXVII. Sanguinis in cavum thoracis effusio.	379
LXVIII. Dolor inguinis periodicus.	391
LXIX. Carus periodicus a vermibus.	398

	Pag.
LXX. Febris intermittens urticaria.	405
LXXI. Febris intermittens urticaria.	409
LXXII. Febris intermittens urticaria.	413
LXXIII. Urticaria typhodes cum sphacelo.	417
LXXIV. Urticaria habitualis menstrua.	422
LXXV. Urticaria habitualis altera.	423
LXXVI. Urticaria habitualis ex terrore recidiva.	424
LXXVII. Urticaria habitualis coeli rigidioris so- boles.	424
LXXVIII. Urticaria tuberosa.	426
LXXIX. Gangraena pedum a frigore.	429

*Febris quartana duplex rebellis cum
balneo sanata.*

Anno 1786 in clinico Instituto *Ticinensi* puella degit, quae febre quartana duplice per quatuor menses laboraverat. Menstruum fluxus huic virginis suppressus erat. Dolor ad scrobiculum cordisurgebat cum oris amaritudine. Emetica, alvum purgantia, salia diversa, resolventia omnis generis, et cum dolores quasi arthritici simul in scena essent, vesicantia, antimonialia, geum urbanum, corticem peruvianum, opium, incassum praescripsimus. *Purpura* tandem, ut vocant, rubra, comparuit in cute, febrem tamen ea sola non fugavit. Hinc tepidum ad balneum confugimus, atque tam hujus ope, tam vini antimoniati auxilio, morbum curavimus, qui ultra tres menses aliis remediis restiterat.

E p i c r i s i s.

Inter quamplurimas febres intermitentes, quae medico practico quotannis curan-

dae veniunt, sunt quaedam, ut in *Epitomeſ* L. I. §. 28. p. 53. monuimus, hoc vel illo anno copiosiores, quae nos memores reddere possunt fati, quo veteres medici, ante corticis chiae notitiam, dum febribus pau-lo pertinacioribus mederi debuissent, pre-mebantur. Quare *Galenus* memorat: quod febris *quotidiana* saepe sexaginta circuitus ha-beat et periculosa sit; *quartana* autem medi-corum scandalum vocabatur. Ut plurimum scilicet ex *quartanarum* familia sunt, quae subinde artis operam eludunt. Ipse *Syden-hamus* monuit: dari aliquos, quorum corpo-ra, ob frequentem febris recursum, contra corticem quasi communita, salutiferam ejus vim perpetuum eludant *); et *Monrois* in epi-demia *Bremensi* 1761, 1762, multas intermit-tentes longaevas vidi omni medendi metho-do renitentes. Talis fuit epidemia, quam *Lautterus* descripsit **). Nos ipsi talem in *Insubria* epidemiam vidimus, in qua, etsi cortex optimae qualitatis minime defecerit, per omnes tamen ejus regionis provincias non minor quantitas ejus remedii, quam novem unciarum aegrotis, ut febre intermit-

*) Epistola responsoria.

**) *Hist. med. biennalis.* p. 10. 11.

tente liberarentur, porrigi potuit. Summum aliquando remedium in febre rebelli est, *nullum*, praeter aeris mutationem, experiri; ac semper affinitatis, quam febris intermittens cum aliis *morbis nervosis agnoscit*, memores esse debemus. Magna hinc in utroque morbi genere est utilitas peregrinationum, pietatis gratia quondam copiosius, quam nostris temporibus institutarum. Quemadmodum vero *balnea tepida* in adfectionibus nervosis praecipua se virtute commendant; ita quoque in febre intermittente rebelli, illa utique tentari frequentius, quam solent, merentur. *Antimonialium* in febre periodica virtus, etsi multos ante annos comprobata *), nostris tamen temporibus venenosis, ac imprimis insidioso hominis naturae arsenico magis propitiis, plus aequo vilipenditur.

Cum vero temporum injuriâ chiae cortex aut alto nimis pretio veniat, aut multis in locis acquiri nequidem queat; fatemur omnes, remedium, quod illum quodammodo suppleat, humano generi auro potius haben-

*) Dr. Millars de exploratione Kermes mineralis, sive pulveris Carthusianorum, in medendo efficacia. Aargentorati 1752. *Unzer, Hamburg. Magazin. viii Th. 8. 356. Klein, select. medicam. p. 269.*

dum fore. Tantae interim, seu aequalis virtutis, hucusque nos fugit febrifugum; hinc nullum, quod experientia, multis saltem in casibus, ut efficax comprobaverit, ex praeconcepta opinione spernendum est auxilium. Revocabimus huc, inconcinnae quidem compositionis, ac hodiernae chemiae minime consonum, sed in provinciis quondam *Mantuanis* ac *Venetis* communissimo in usu positum, hinc publicâ fiducia sancitum, in febribus tertianis, remedium. Adscribitur hoc celebri quondam in urbe veneta (*Rodigo*) medico, Doctori *Calabria*, atque sub nomine *aqua amarae* hujus medici, sub formula sequente, cognitum est:

℞. Aquae cardui benedicti unc. X.

Salis amari, unc. I.

Spiritus salis ammoniaci

— sulphuris per campan.

à gutt. XV.

Tempore apyrexiae semel iterumque propinatur adultis haec compositio.

Radicem *gei urbani*, seu *cariophyllatae*, et nos in febribus periodicis constanter vidi mus inutilem. Ab egregio medico *Insubriae*, ac nosodochii incurabilium, in loco *Abbiategrasso*, physico, Doctore *Magni*, *geum rivale*

Lin. longe majore cum successu adhibitum
fuisse novimus.

*De febribus periodicis perniciosis
animadversio.*

Per viginti annos artem medicam, pri-
mum *Bitis*, in Gallia; dein, apud Germa-
nos, *Badenae*, *Rastadii*, *Bruchsaliis*, *Goettingae*,
exercuimus; atque toto hoc tempore, etsi
insignem febrium intermittentium nume-
rum tractaverimus, *perniciosa* tamen *perio-*
dicam, praeter tertianam *apoplecticam* unicam,
prope rheni paludes, in pago *Huttenheim*,
Spirensis ditionis loco, a nobis a secunda
accessione, sanatam, ac praeter *algidam*,
Rastadii tractatam, ac primo jam insultu
lethalem, nullam conspeximus. In Italiam
transvecti, ac ibidem decem fere per annos
inter morbos innumeros versati, frequens
nobis febrium reapse perniciosarum omnis
generis, in *Insubria* hinc illinc inter paludes
et campos oryzae colendae dicatos endemi-
carum ac epidemice aliquando furientium,
observandarum occasio fuit; atque brevem
quidem, sed succinctam istarum descriptio-
nem in *Epitomes L. I. §. 35.* dedimus. *Vin-*

dobonae, in Austria, duo fere per lustra medicinam docentes, quamvis circa paludes, ab inundationibus Danubii productas, magnus intermittentium numerus succrescat, rariores tamen *perniciose* sunt, ac praeter unam, et quidem *tertianam amauroticam*, quam anno 1804 in clinico Instituto feliciter sanavimus, nullam vel hoc in loco, vel ipsa in metropoli, tractavimus. Quatuor per annos tum in *Lituania*, tum *Petropoli*, Professoris clinici officio fungentes, perniciosas quidem his in regionibus non prorsus inauditas esse percepimus; nullas tamen illinc aut vidimus, aut nos ipsi tractavimus. Atqui dum perniciosarum historiis a summo viro, *Tortio*, a *Mortono*, *Werlhofio*, *Casimiro Medico*, aliisque, ac nupperrime ab egregio *Aliberto* *), expositis, nihil hic supperaddere contendimus; id saltem hic monendum esse dicimus: vel illis ipsis in provinciis, quae terrificis his febribus abundant, non paucos medicos, vel nimiae culpa formidinis, vel captandis sanationis gloria et lucro, denominatione *perniciosarum* abuti. Ac de frigore quidem in febribus intermittentibus aliquan-

*) *Traité des fièvres pernicieuses intermittentes*. Paris 1809.

do, in quartanis autumnalibus praeprimis, diurno ac per plures horas extenso, jam alii cum nobis monuerunt: non semper aut calorem his *rigoribus* aequalem, aut symptoma-ta quaecunque *maligna*, subsequi. Gene-raliter satis tamen admittitur, frigus febrile validius et longum, quod nullus calor aut sudor insequuntur, ad febres perniciosas, quas *algidas* vocarunt, spectare; atque sic, usus, quo febri, ex potiore ejus symptomate, epitheton impertiri amant, ut de febre *lipothymica*, *emetica*, *cardialgica*, notum est, prognosin morborum aliquando satis inno-centium, cum illa perniciosorum, malignorum, non exiguo curationis nimis tumultua-riae damno, confundit. Pauca, quae repre-hensionem nostram confirment, exempla re-feremus.

Febris algida, non perniciosa.

Catharina Tagliacarne, virgo septemdecim vix annorum, optimae constitutionis, nec-dum tamen menstruata, die 29^a mensis Mar-tii 1793, post meridiem, derepente per duas horas artibus doluit, postea vero *per sex ho-ras rigore* magno prehensa fuit, qui rigor absque subsequente calore aut sudore, ad-

ventante die 30^a, prorsus evanuit. Matutino tempore perfecta apyrexia virgo gavisa est; ast vero eâdem hora pomeridiana iterum a frigore intenso et sex per horas exporrecto, absque caloris aut sordoris satellitibus, invaditur; atque sic per quinque dies, æquali semper typo, res incessit. *Die 5^a.* Aprilis 793 aegra clinicum Institutum *Tici-nense* intravit, ac vespere observatum fuit febrem vix ullam, amarorem oris nullam, nec nauseam aut vomendi conatum accusari, linguam puram et nitidam, abdomen molle esse, alvum quotidie deponi, appetitum ciborum vigere. Pustulae modo aliquae ad frontem comparcent. Nihil, praeter infusum sambuci, praescribitur.

Die 6^a. nec rigor, nec ulla febris obser-vanda occurunt.

Die 7^a Nox hesterna inquieta fuit. Rigor per tres horas magnus comparuit; pulsus erant frequentes, contracti. Cortex nunc peruvianus omni hora ad drachmam sumendus, atque haustus salinus propinantur. Nulla febris ad vesperas accessit.

Die 8^a. Nox fuit placida; pulsum nunc offert naturalem, de fame conqueritur, au-getur victus; in iisdem continuatur remediis.

Sic per plures adhuc dies observata, nihilque amplius morbi manifestans virgo, quin a rigore tam intenso, aut calor, aut sudor unquam essent insecuri, ac sine urinis hypostaticis, perfecte restituta, ac tandem ad suos dimissa fuit *).

Febris lipothymica, non perniciosa.

Vincentia Giorgi, Ticinensis, annum aetatis decimum quintum attingens, ac necdum menstruis instructa, vermibus ex ascaridum lumbricoidum familia ab infantiae tempore saepe saepius affecta, duabus abhinc annis febre tertiana simplici, ob neglectam curam, per octo menses et ultra laboravit. Vires abhinc prostratae fuerunt, omneque corpus intumuit. Febris interim sponte tandem cessavit, atque auctis sensim sensimque viribus, corpus simul, absque omni medicina, detumuit, et aegra, si verium aliqua hinc inde symptomata excipias, pristinam salutem adepta est.

Nulla data occasione, haec virgo die 6^a. mensis Aprilis 1788, ad noctem a frigore sat intenso correpta fuit, accesserunt huic ca-

*) *Josephus Fiocchi*, Med. Doctor, aegrae adstitit, auctor historiae.

lor universalis, cephalaea, oris amaror, nau-
sea, sitis, pruritus ad nares, pondus ad
ventriculum, alvus tarda, aliquis dolor li-
enis, sub ejusdem attactu. Post aliquot
vero horas, laxata cute ac sudore oborto,
febris symptomata remiserunt, ac 7^a men-
sis penitus profligata fuerunt. Eadem inte-
rem hac die, post meridiem, frigus iterum
summum per quatuor circiter horas invasit
aegram. Hujusmodi intensem frigus, con-
strictionis primum ad guttur sensum, dein
lipothymiam per tres adeo horas extensam,
produxit; a calore tandem dispersam. Sym-
ptomata verium hoc etiam sub paroxysmo.
hinc inde comparebant, sub sudore dissipan-
da. Ad noctem, aliquot horarum libertas
a febre successit; post dimidiam vero no-
ctem, praecedente levi frigore, calor aegram
urebat, matutino tempore per sudorem dif-
flatus.

Die 8^a. post meridiem, iterum tum a fri-
gore, etsi minus violento, tum a *lipothymia*,
aegra correpta fuit, manente autem sudore,
haec ultima quoque dispulsa, et perfecta
apyrexia secuta est. Simili vero modo, ac
nycthemero elapso, leve frigus medium ad
noctem aegram invasit. *Die 9^a.* clinicum

Institutum haec petiit, atque cortex hic chinate ad unciam dimidiam, duabus horis sumendam, praescriptus fuit. Post meridiem, frigus moderatum, cum calore satis levi, nulla vero animi deliquia secuta sunt. Cum vero et gastrica et verminosa symptomata urgerent, pulvis rhei electi, seminisque santonici, chiae supperadditus fuit. Ad vesperas alvum deposit, et somno aegra gavisa est; sed *die 10^a.* ad horam secundam matutinam, absque praecedente frigore, calor exortus est, paucas post horas per sudorem sublatus. Hora 9^a matutina, os amarum, pondus ad ventriculum, summus dolor ad caput, accusantur. Evacuans hinc alvum medicina, quae sexies effectum habuit, porrecta fuit. Post meridiem, iterum miti a febre, absque frigore, et absque lipothymia correpta fuit. Gastrica symptomata quamplurimum imminuta sunt.

Die 11^a. Nocte, parva febris accessit, sudavit, bis alvum, duosque vermes ascarides depositus aegra. Cortex chiae iterum porrectus fuit. Febris post meridiem emanavit, nec nocte quidem, qua ter alvum cum tribus vermibus excrevit, ea accessit.

Dte 12^a. Iterum pulvis ex cortice, rheo,
ac cina porrigitur. Vermes duo secedunt.

Bie 13. nulla febris. Vermis iterum ex-
cretus est; pluries alvus deposita fuit. Cor-
tex iterum solus porrigitur.

Die 14^a. Farva febris hora undecima hoc
mane secuta, vermis unicus expulsus est.

Continuato nunc chiae cortice, febris
fugata, *et 21^a.* mensis aegra, perfecte resti-
tuta, ex clinico decessit *).

Febris cardialgica cum Typo quartanae.

Joannes Boydson, Faber Ferrarius, 27
annorum, *Hungarus*, in loco patriae paludo-
so a febre intermittente, autumnali tempore
endemica, corripitur, quae primum quidem
typum intermittentis tertiana, dein quar-
tanae, ac tandem quotidianae servabat. Fri-
gus sub paroxysmo erat intensissimum, calor
levis, sed sudor copiosus. Durabat haec
febris circiter per sex menses, cui amara
sine effectu opposuit. Cessabat tandem
sponte quotidiana, et post octiduum aeger,

*) *Joannes de Piccioli*, Med. Doct., posthinc Veneti
status protomedicus, ante annum ex phthisi pulmo-
nali defunctus, historiam morbi contexuit.

timens lienis obstructionem, huic febri saepius illinc pedissequam, spiritus vini camphorati uncias circiter duas, ter in die, prodosi hausit. Tertia die hujus usus, magnus *ventriculi dolor et constrictio* per totum fere nycthemerum continuarunt. Quinque abhinc annis, paroxysmus *die jovis et lunae*, cum materiae mucosae, flavescentis, frequente per alvum depositione ac dolore abdominis, redibat. Tempore apyrexiae, si parvam interdum oppressionem a pastu excipiamus, perfecta aegrotus libertate gaudebat. *Die 2^a Junii, 1801*, vehementior accessit paroxysmus. Sumit aeger sal amarum, unde alvus, quinques, absque levamine, solvitur. Nosocomium *Vienense* tunc petitur, ex quo, *die Junii 12^a*, pro Instituto clinico electus, sequentia sub ipso paroxysmo symptomata nobis exhibuit:

Compagem corporis sat firmam, cephalaem, linguam sicciam, sitim magnam, ructus, borborygmos, dolorem, tensionem, constrictione sensum ad ventriculum, ab attactu non auctum, anxietatem, copiosam descriptae materiae per alvum ejectionem, urinas subrubras, turbidas, lassitudinem,

cutem aridam, anserinam, pulsus frequentes, debiles, sudorem copiosum.

Die 14^a ad vesperas, quo febris accessio-
nem averteremus, aquae menthae uncias
quatuor, aquae cinnamomi vinosae unciam
dimidiā, ac tincturae anodynæ viginti gut-
tas, de quibus aeger omni hora unciam se-
missem assumeret, praescripsimus.

Die Lunæ aut 15^a, mane paroxysmus fe-
brilis, sed mitior, accedit cum descriptis
symptomatibus. Exhibitentur extracti taraxa-
ci, et arcani duplicati, in aquae unciis septem
solutorum, $\bar{a}\bar{a}$ drachmae duae.

Vespere hucusque aeger quinque modo
cardialgiae insultus, ac totidem alvi deposi-
tiones mucosas, flavescentes, cum tormini-
bus passus est. Calor erat adauctus, pul-
sus quidquam irritati sunt.

Die 16^a a paroxysmo liber est. Prae-
scriptus est pulvis seminum phellandrii aqua-
tici ad scrupulum unum, quem pulverem
omni bihorio assumat.

Die 17^a nulla febris occurrit, neque car-
dialgia comparet.

Die Jovis aut 18^a, mane. Ab hora quin-
ta ad octavam, aeger ter insultum cardial-
gicum, absque aliis febris symptomatibus, ex-

pertus est; alvum bis liquidam deposit. Vespare sine doloribus ad cardiam ac sine diarrhoea, quam optime se habet.

Die 19^a levis dolor ad ventriculum comparet, a quo ter alvus deposita fuit.

Die 21^a, hora quinta matutina insultus subintrat cardialgicus, ac alvus frequenter deponitur.

Die 22^a, seu die lunae, quatuor cardialgiae insultus accedunt, sub quibus toties alvus liquida, paucō sanguine commista, deposita fuit. Cum igitur nullum aeger a phellandrio fructum perciperet: corticis peruviani flavi drachma dimidia, omni trihorio repetenda, praescripta, praeter hanc vero, aquae menthae unciae tres, aetheris sulphurici guttae viginti, de quibus unciam dimidiā singulos post pulveres hauriat, traditae fuerunt.

Diebus 23^a et 24^a nec cardialgia, nec diarrhoea subsunt.

Die Iovis, seu 25^a, pro prima vice, nec cardialgia, nec alvi profluviū comparuit.

Diebus 26^a, 27^a, 28^a, nihil morbosī observavimus, alvum aeger compactam deposit.

Die lunae seu 29^a altera jam vice a paroxysmo liber est aeger, nec dolorem ad

cardiam, nec diarrhoeam percipit. Per aliquot adhuc dies amaris aeger usus, ac tandem sanatus ad suos dimissus est *).

De Febre intermittente inflammatoria.

De febris *intermittentis* indole aliquando *inflammatoria*, vernali tempore imprimis occurrente, per venaesectionem cum evacuantibus alvum remediis, absque corticis peruviani usu felicius sananda, ac in *Epitomes nostrae de curandis hominum morbis*, libro I. §§ 66-71. exposita, dubia quaedam mota fuerunt **); ac notum est, a *Brunone* omnem intermittentis naturae febrim, soli *astheniae* adscriptam fuisse. Cum diversis in Europae regnis ac provinciis artem medicam per novem lustra exercuerimus, fatebimur quidem, indolem febrium periodicarum in multis locis, coelo minus benigno instructis,

prae-

*) *Joannes Schnarcher*, Med. Candidatus, historiam morbi examavit.

**) Jenalsche allgemeine Literaturzeitung 1794. No. 212. p. 820. „Unmöglich können wir dem Verfasser Beyfall geben, wenn er behauptet, daß *Frühlingswechselfieber* selten nur der Fleberrinde bedürfen, und daß man sie weit öfter mit Aderlassen und anti-phlogistischen Mitteln aus dem Grunde heilen kann.“

praecipue apud illos, qui frugali magis victu, et pro potu, non tam vino, quam cerevisia utuntur, raro esse *energicam*. Convenimus adeo, vel sub coelo etiam magis tepido, aut calido, has febres vernales, uno magis anno, quam altero, prout nempe genius morborum diversus dominatur, frequenter aut rarius vestem sanguineam induere; sed certe in *rhenanis* provinciis felioribus, praecipue vero in *Italia*, verno tempore magis sicco atque nunc tepido, nunc vero frigidiusculo, dum omnis hiberno e somno natura reviviscitur, frequens nobis fuit has febres, vere, ut vocant *inflammatorias*, seu *energicas* observandi occasio.

Quod vero nihil hac in re docuerimus, nisi quod et propriae et aliorum experientiae innixum sit; tum paucis aliquot observationibus, quas facile augere possemus, hic confirmabimus; tum virorum in arte medica clarorum testimonio illustrabimus. Sic *Donaldus Monroe*, tam in *Anglia*, quam in *Germania*, venaesectionis, aliquando etiam repetitae, utilitatem ac necessitatem in febribus periodicis, apud milites robustos et succi plenos, observavit, imprimis ubi fortiores essent insultus, ac ubi pulsus apyrexiae etiam

tempore frequentiam majorem conservarent *). Sic apud *Mannheimenses*, vel in ipsa febre perniciosa tetanode, quo citius ad usum corticis perveniri liceret, venam semel, et aliquando bis, cum fructu secuit *Casimir Medicus* **). In febribus intermittentibus pertinacioris indolis, si modo vires subsisterent nimiae, *Burserius* utilitatem venaesectionis tum ex aliorum, tum ex propria experientia, confirmavit ***). In omni certe *Italia*, praeципue meridionali, in febribus periodicis, vernalibus maxime, si vires aegrorum juvenilium superabundent, venaesectio instituitur †). In *India occidentali*, febres intermittententes comitari solent vehementes vomitus et inflammationis symptomata, quae sibi, testante *Lindo*, sanguinis missionem requirunt ††). Similis medicorum in *Gallia* observatio est †††); nec *Germaniae* medici ab

*) Observations on the means of preserving the health of soldiers. Vol. II. p. 104. 108.

**) Sammlung von Beobachtungen, I. Theil, §. 84.

***) Institut. med. Vol. I. p. 119.

†) *Baglivi* prax. med. Lib. I. c. 2. §. 1.

††) Vid. *Lind*, Versuche über die Krankheiten, denen Europäer in heißen Klimaten unterworfen sind.

†††) *Riverii* observat. Centur. IV. n. 83. *Myron*, Ergo in febribus intermittentibus venaesectio remedium.

ista dissentiunt *). Clinices *Vilnensis* nunc antistes, *Josephus Frank*, *Vilobonensis* antehac nosocomii medicus ordinarius, febrem quondam rebellem periodicam in isto nec per corticem chiae, nec per opium, dispellere potuit, quam sola dein venaesectio feliciter devicit. Crebrius nos, *Bruchsalis*, verno tempore, tum febres continuas inflammatorias, una alterave sanguinis missione adhibita, in periodicas intermitentes quasi dissilire, et paucis tandem alvi evacuationibus per artem excitatis, dissipari protinus conspeximus.

Etsi vero testimonia hic allata, confirmandis illis, quae quondam docuimus, sufficerent; paucas tamen, quas in *Italia* publice instituimus, observationes, eundem in finem hic subnectimus.

Observatio I.

Rusticus, annos triginta numerans, fortifibra instructus, initio mensis Aprilis 1791, derepente noctis tempore a calore, per tres

Paris 1597. *Pistre*, Ergo inclinante febris intermittentis accessione peropportuna venaesectio. Paris 1637.

*) *Stoll*, ratio medendi P. IV. p. 493. *Werfel*, in *Hufeland's Journal der pract Heilk.* IX. B. 3. St. S. 196. Vid. *Trnka*, de febrib. intermittent. p. 322.

dies continuato, atque per largos sudores dissipato, correptus fuit. Post septem, vel octo dies, horis matutinis, horrores eum invadunt, in frigus trium horarum mutati. Calor insecurus est, ad noctem cum sudoribus absolutus. Sic per mensem quotidie a febre correptus, donec Majo mense, post assumptum remedium, quod alvum copiose eduxit, a febre simul liberatus fuit. Mense Septembris nova febris, quotidiana, quindecim per dies hunc virum vexavit, iterumque evanuit.

Sub fine mensis Aprilis anni 1791, febris denuo recruduit, ad sextam Maji mensis, eodem typo incedens. Hac die vero fortior paroxysmus accessit. Octavâ, febris eadem, cum vomitu, redivit, et aeger sub medio paroxysmo in clinicum Institutum *Ticinense* translatus fuit. Pulsus erant frequentes, pleni ac duri, facies rubra cum cephalaea. Urina quidem clara, sed cum urethrae ardore deposita fuit. Hypochondrium sinistrum ab attacku doluit. Decoctum radicum graminis pro potu, et tremor tartari cum exigua portione tartari emetici porrectus fuit. Ad vesperas semel alvum depositus. Febris quidem tunc nulla; sed pulsus adhuc duri-

ac pleni. Venaesectio ad uncias decem instituitur, et potio alvum laxans porrigitur. Die nona, febris nulla. Die decima, pauca. Cremor tartari cum nitro propinatur. Die undecima, febris minime accessit, atque sic in integrum fugata fuit *).

Observatio II.

Joannes Modolli, juvenis 19 annorum, robustus, duris laboribus adsuetus, haemorrhagiae narium frequenter, nec minus Bacchi imperio subjectus, aestate praeterlapsed, a febre intermittente correptus fuit, quae, institutis aliquoties venaesectionibus, corticisque peruviani administrationi cessit. Hoc a tempore perfecta gravis est valetudine, excepto, quod aliquoties in hebdomade sanguis e naribus prorumperet.

Die 20^a mensis Martii, versus meridiem, interno a frigore, tres per horas extenso, invaditur hic juvenis. Excipitur illud a calore, per reliquum diei, et per integrum noctem protenso, largo tandem sudore cutem inundante.

Die 22^a, mane, nulla febris, versus me-

* Adstitit hunc aegro medicinae candidatus, *Joannes Baptista Giudici*, qui morbi historiam conscripsit.

ridiem vero frigus denuo revertitur, calore ac sudore iterum terminandum.

Die 23^a, apyrexia; sub meridiem vero eadem redierunt symptomata. Vespe, pulsus pleni, duriusculi, nullus capitis dolor, tussis aut dyspnoea nulla, os minime amarum, alvus bene mota. Praeter potum ex graminis decocto, victumque tenuem, nihil fuit praescriptum. Nox insomnis, calor, sudor.

Die 24^a, cutis adhuc madida, pulsus plenus ac vibrans. Pulvis ex cremore tartari cum nitro, et serum lactis pro potu porriguntur. Febris eadem, ut alias, hora aegrum invadit, eodemque modo absolvitur.

Die 25^a a febre liber est juvenis. Praescribitur sequens remedium:

R. Salis ammoniaci,

Nitri puri, $\frac{1}{2}$ drachm. ij.

Solve in aquae destill. unc. viij.

Adde Sacchar. albi drachm. ij.

M. capiat omni bihorio unciam.

Febris iterum cum iisdem symptomatibus comparuit. Nox insomnis, calor magnus, sudor multus.

Die 26^a, mane, pulsus plenus, admodum vibrans est. Sanguinis unciae decem trahun-

tur e vena. Suam febris iterum scenam ludit; frigus tamen nullum, et calor duas modo per horas aegrum adfligunt. Sudor largus insequitur.

Die 27^a. pulsus minus plenus, atque pacatus. Febris nulla accessit.

Die 28^a. febris non rediit, ac integra demum valetudo restituta fuit *).

Observatio III.

Antonius Salamoni, Ticinensis, Vir 30 annorum, fortis, ac bene nutritus, *die 17^a. mensis Aprilis 1793*, postquam humidas vestes diu gestasset, circa horam septimam matutinam a levi frigore prehenditur, per duas horas caloribus intermisto, cui dein calor solus, sed modicus, successit, decem circiter per horas extensus, , subsequente copioso sudore. *Die 18^a.* liber omnino fuit a febre; sed circa medium noctem ejusdem diei, friguit iterum per duas horas, deinde fortius ac antehac incaluit usque ad vesperas *diei 19^{ae}*, quibus sub copioso sudore liber quievit. Nox placida fuit; sed horâ matutina undecima

*) Adstitit aegro, et historiam morbi consignavit *Georgius Morbeck*, germanus.

diei 20^{ae}. frigus iterum accessit leve, non ultra horam perdurans, quod mox calor longe major, quam alias, excepit, ad meridiem usque *diei 21^{ae}.* continuans, sudore profuso, non penitus, sed majorem ad partem dissipatus. Ad clinicum Institutum *Ticinense* delatus aeger febrilem adhuc irritationem, calorem corporis, pulsum quidquam frequentem, plenum ac durum manifestavit. Post meridiem comparuit etiam dolor ad inferiora et anteriora **sinistri** lateris, sub inspiratione profunda exacerbandus, quin igitur aut dyspnoea, aut tussis, aut in hoc vel illud latus decumbendi difficultas subessent. Nulla quoque doloris sub attactu exacerbatio, dolor capitis nullus, sitis pauca, urina cruda, sub paroxysmo flammea; lingua pura, os non amarum, abdomen molle, alvus modice adperta. Aegri constitutio robusta, tempus vernum, pulsuum conditio, febrem anomalam intermittentem, eamque *energicam*, seu inflammatoriam, facile in febrem continuam, si stimulus accederet, convertendam, adesse docebant. Venaesectio hinc ad libram instituta, serum lactis pro potu, et tremor tartari cum nitro porrecta fuerunt. Continuatis per tres dies his remediis, febris,

quae primo jam nycthemero emanserat, perfecte sanata fuit. Reliquum ad latus dolorem linimentum volatile fugavit *).

E p i c r i s i s.

Sic tum ad *rheni* superioris ripas, tum in *Italia*, centenas certe febres periodicas, imprimis vernales manifeste *hypersthenicas*, absque incitantium, aut corticis *chiae*, aut amarorum usu, deprimentem modo per methodum felicissime dissipavimus. Rarior harum febrium *Vindobonae*, per decennium, preventus fuit. Nullas autem hujus generis vel in *Lituania*, vel *Petropoli* observavimus. Non paucae intermitentes, quae, vernali tempore imprimis, post quinque sexve paroxysmos, infraicti modo per largos sudores febremque ipsam stimuli ratione, vel sponte, et absque ullo alio auxilio disparent, ad febris plus minus *energicae* genus spectarunt; atque hinc in *Epitomes* L. I. §. 70. diximus: „Nisi limites haec febris excedat, et nisi calidorum, stragulorumque abusu exasperetur; rarum est, eandem diutius vel ipsius naturae resistere moliminiibus.“ Atqui haec omnium natio-

*) Historiam hanc redegit, aegroque adstitit medicinae candidatus, *Thomas Monteggia*.

num cultarum medicis non ignota esse jam diximus. Minus vero communis est febris *energicae*, quasi *subcontinuae*, sed ad veras intermittentes pertinentis, atque *cum locis* partis, aut visceris *inflammatione periodica* incidentis, cognitio, cuius febris, ex multis quae possidemus, aliqua modo hic exempla referimus.

Febris tertiana inflammatoria cum pleurite.

Georgius Morbeck, medicinae candidatus, corpore satis robusto, succiplo, ac fibra irritabili instructus, in prima juventute *Mannheimii* transacta, febribus intermittentibus, hic loci endemicis, nonnunquam epidemicis, frequenter subjectus, crescentibus annis ab odontalgia rheumatica haud raro vexatus, adolescentiae vero annis, interdum a vertigine, sopore, per venaesectiones dissipandis, correptus, die 9^a. Decembris 1791, dum aestuante corpore se frigidae aurae exposuisset, hora quinta vespertina, a frigore, tres per horas saeviente, invasus fuit. Sequuntur hoc, intensus calor, cephalaea atrox cum

deliriis, summa respirationis difficultas, cum pungente ad latus sinistrum thoracis dolore, tussi aliqua, et deglutiendi labore.

Die 10^a. horis matutinis, dolor capitis, deliria cessant; coetera symptomata continuant. Alvus a biduo clausa, lingua sicca, impura, nulla tamen oris amarities, ructus nulli, accusantur. Pulsus duri admodum, pleni ac frequentes sunt. Sanguis ad uncias quindecim mittitur, decoctum hordei propinatur cum nitro et oxymelle; clyster injicitur. Potus, ob faucium dolorem, ante secundam a meridie horam ingeri non potuit. Immaginebatur tunc quoque dyspnoea, dolor lateris; tussis nulla fuit. Pulsuum frequentia, durities, continuant. Vespere, sanguis educitus, etsi densus et siccus, corio tamen non obiectus est. Alvus ab enemate soluta, somnus noctu aliquis concessus fuit.

Die 11^a. mane. Dolor lateris punctorius vix non evanuerat; reliqua continuant. Potio alvum laxans ex pulpa tamarindorum et cremore tartari solubili præscribitur. Ad noctem prorsus insomnem, exceptis solis deliriis, ea ipsa, quae ad noctem diei 9^{ae} contigerant, succedunt symptomata. Sudor

nullus, nullum in urinis sedimentum observantur.

Die 12^a. Continuant quidem pulsuum frequentia, durities; cœtera vero morbi symptomata mitiora sunt. Unciae sanguinis tredecim educuntur, alvum laxans medicina repetitur. Horâ pomeridiana secunda, recrudescent morbi phoenomena, et quidem cum eadem vehementia. Venaesectio tertia instituitur; qua factum est, ut, respiratio- nis difficultate ac dolore lateris dispulsis, non nisi pulsuum continuarent et plenitudo et frequentia. Alvus ad vesperas bis fuit soluta, faeculenta. Cognitâ nunc febris intermittentis subcontinuae indole, cum simul febres periodicae regnarent, hinc inde cum pneumonia et laterum dolore infestae; corticis peruviani uncia, binis vicibus intra duas horas, remissionis insecuritiae tempore, assumenda, dein vero ejusdem corticis drachma una, cum octo granis nitri, omni hora ingerenda, praescribuntur. Nocte sequente somnus, per horas duas extensus, aegrum restauravit. Nihil sudoris, nil sedimenti in urinis observari potuit.

Die 13^a. Febris continuat, pulsus iidem sunt; alvus bis excernitur. Sequitur nox

Insomnis, animus diversis ab idaeis obruitur;
sudor nullus, nullum in urinis sedimentum.

Die 14^a. iterum corticis chiae uncia una,
 cum nitri drachma, medicinam constituit.
 Ad noctem somnus languida membra refe-
 cit, quin sudor, aut in urinis sedimentum,
 comparuerint.

Die 15^a. Febris imminuta. Medicina ea-
 dem. Noa insomniis, agitatione corporis
 perturbata.

Die 16^a. idem verum status; sed noctem
 aeger quietam transegit. Nec sudor tamen,
 nec sedimentum in urinis se produnt.

Die 17^a. Pulsum vibratio, frequentia
 cessant; eorundem mollities atque tarditas
 redeunt. Apyrexia plenaria noxque tran-
 quilla succedunt; sudor tamen ac sedimen-
 tum in urinis defuerunt.

Ab hesterna die febris in totum siluit.
 Corticis drachmae duae per aliquot adhuc
 dies adhibentur, post quos valetudo inte-
 gerrima restituta fuit *).

*.) Morbum proprium aeger ipse descripts.

Peripneumonia periodica.

Felici compage insructa, decimum nonum aetatis suae annum agens, puella, rite semper menstruata, a peripneumonia tres ante annos conflictata fuit, debilitante sub methodo fugata. *Die 22. mensis Maji 1794* haec virgo clinicum *Ticinense* Institutum ingressa est. Ante quinque dies, ut refert, nulla data causa, hora quinta pomeridiana, illa per bihorium intense friguit. vomitus materiae amarae, viridescentis, cephalaea, et ad lumborum regionem dolor una adparent; calor subsequitur, atque tunc vomitus dolorque silent; ast his, difficilis respiratio, dolor ad sinistrum thoracis latus, sub mamma, tussis sicca, decubitus in sinistrum latus difficilis, succedunt. Hoc sub rerum positione vena secatur, et medicina alvum evacuans administratur. Aliquot post horas, leviter aegra sudat, symptomata singula mitiora fiunt, et remissio ad tertiam usque diem morbi persistit; in qua, horâ quinta antimeridiana, frigus sat validum denuo per bihorium revertitur, iterumque vomitus, cephalaea, dolor ad lumbos sese adjungunt, dolor thoracis exacerbatur, respiratio redditur difficilior tussisque recru-

descit. Vesperascente die, aegra quidquam sudavit; remissio inde per integrum diem conceditur, sed febris non omnino evanuit, atque thoracis dolor, licet mitior; tussis, anxietas persistunt. *Quinta* morbi die, ad horam eandem, ac nudius tertius, frigus aegram prehendit, et singula iterum, quae supra recensuimus, symptomata comparent. Absoluto tandem frigore cum ad clinicum Institutum aegra venisset, sequentia observari potuerunt:

Facies rubra, cutis calor sano major, respiratio difficilis, dolor sub mamma sinistra urgens, sub attactu, et sub inspiratione profunda exacerbatus, decubitus utroque in latere possibilis, in dorsum vero commodior, tussis mitis, exscreatio nulla, pulsus frequens, plenus et tensus, lingua impura, os non amarum, sitis suimma, alvus aperta. Libra una cruris emititur, decoctum hordei cum oxymelle, fomenta ad locum dolentem emollientia praescribuntur.

Vespere, remissio manifesta se prodit, dolor mitis est, respiratio facilior, pulsus sunt pleniusculi, alvus clausa, os amarum, lingua impura. Cremor tartari cum pulpa tamarindorum, praevio enemate porriguntur.

Die 23^a. mane. Hac nocte quievit aegra, dolor mitis, tussis fere nulla, respiratio felix, febris pauca est, pulsus vix frequens, alvus ter mota. Vespere, dolor levis est.

Die 24^a. Febris accessit praeeunte perbihorium frigore; anxietas levis, tussis aliqua, dolor auctus, pulsus frequens, plenusculus, sat vibrans; caput dolet.

Vespere, paroxysmus cessavit. Praescribitur nunc chiae cortex ad unciam, cuius sex in partes divisae, portio una quovis bicherio porrigitur.

Die 25^a. Levis paroxysmus accessit: dolor thoracis quidquam auctus, pulsus frequentes, non tamen duri sunt, tussis pauca, sudor ad vesperas, pulsusque moliores sunt.

Die 26^a. Febris nulla, dolor mitis. Ad meridiem vero paroxysmus levis, absque frigore accessit.

Sic res *ad 29^{am}* optime, sine febre ingressa est. Hac vero die, aliqua febris, levi praeeunte frigore, et capitis dolor accessit.

Die 30^a. Ventris quidam dolores adsunt. Suspenditur pulvis ex cortice, ac ejusdem decoctum, cum laudani liquidi guttis xij. propinatur. Per plures nunc dies symptoma hysterica communia sequuntur; quibus soli-

solita ex volatilibus remedia opponuntur. Die 7^a. Junii, virgo, perfecte restituta, clinicum institutum deseruit *).

Peripneumonia periodica.

Rustica mulier, 44 annos nata, mater octo liberorum fuit, quos omnes feliciter debitoque tempore peperit. Per multos annos ea bene valuit; est sex vel septem abhinc annis, modo unum, modum alterum morbum passa est, bis fere letiferum. Anno 1787 scilicet in hoc ipso Instituto clinico a gravissima peripneumonia, anno vero 1790 ex simili morbo, non minus ominoso, restituta fuit. Duabus interim ab annis, fluxus menstruus, quin igitur pejus se habuisse videretur, non rediit mulieri.

Die vero 27^a. vix elapsi mensis januarii, 1792, post inordinatas frigoris et caloris atmosphaerici successiones, post sudorem saepe saepius suppressum, matutinis horis haec mulier horrere incepit, ac dein magnum frigus experta est, cui calor successit cum dolore capitis, amarore oris, tussi, difficultate

*) Adstitit morbo, ac eundem descripts Petrus Beretta
Med. Candidatus.

spirandi, ac dolore in dextro latere ac dorso, ad regionem scapulae, nec non inferius ad primas costas spurias, ac legitimarum ultimas. Nausea praeterea, et ad vomitum conamen aderant. Eandem scenam morbus lusit *die 28^a*, excepto frigore. *Die 29^a*. hoc ipsum sub febre rediit; siluit vero *die 30^a*, atque *die 31^a*.

Praeter venaesectionem, potumque tepidum, nihil morbo primis diebus oppositum, tandem vero ejusdem sanatio ad vesperas *31^{ae}* januarii Instituto clinico *Ticinensi* commissa fuit.

Instituto morbi examine, praeter ea, quae jam vetulimus, sequentia notanda veniebant: facies collapsa, oculi splendentes, subhumidi, genae rubentes, labia sicca, dolor capitatis, os amarum, lingua leviter a muco albo obiecta, sitis, spirandi difficultas magna, respiratio scilicet alta, frequens, cum dolore ad costas spurias, ad regionem hepaticam omnem, nec minus ad epigastricam, et in sinistrum hypochondrium exorrecto. Subtussi, et profundiore sub respiratione, is dolor augebatur quamplurimum; augebatur etiam non ab attactu modo, sed vel a solo stragulorum pondere. Sputa erant nulla,

alvus obstructa, urinae paucae. Pulsus erant duri, pleni, frequentes. Interius se uri referebat aegra, cuius interim cutis calorem tam insignem non indicabat.

Venaesectio mox ad libram instituta, decoctum hordei cum nitro et oxymelle, fomenta emollientia et clyster praescripta fuerunt.

Die 1^a. februarii. Febris pauca, paucus laterum dolor; tussis, respirandi difficultas, multum imminutae, in genere, conspicua admodum observatur symptomatum remissio. Sanguis heri emissus, corium contraxit, ut vocant, pleuriticum; pulsus 98 ictus minuto primo absolvebant. Praeter decocatum hordei, fomenta, clysterem, potio laxans, ex cremore tartari solubili ac pulpa tamarindorum, praescripta fuit.

Ad meridiem ejusdem diei, frigus aegram invasit, et febris ab eo major successit. Pulsationes arteriae 120 minuto primo numerabantur. Eodem, ac in ultimo paroxysmo symptomata urgebant. In omnibus itaque continuatum, et emulsio arabica cum nitro praescripta fuit.

Die 2^a. Nocte quievit aegra, alvum octies depositum, sudavit multum; dolor minor, ac

magna febris remissio est. Arteriarum ictus 88 numeravimus. Dolor interim ad latus non in totum remisit.

Cucurbitulas igitur decem, scarificatus, loco dolenti adplicuimus; sequentia vero praescripsimus:

R. Decocti cort. peruv. ex unc. I. parati,
unc. IX.

pulv. cort. ejusdem drachm. VI.

Syrup. cichor. c. rheo, unc. I.

M. capiat omni bihorio tertiam partem.

Vespere. Febris vix comparuit, dolor ad thoracem fere evanuit, alvus bis deposita fuit, vertuntur omnia in melius. Serum lactis pro potu est.

Die 3^a. Nox optime transacta fuit. Multum aegra sudavit. Pulsus omnino sanis sunt similes. Decoctum corticis nunc omni trihorio assumitur.

Ad vesperas, nulla febris adsunt symptoma.

Die 4^a. Res optime incedunt. Ob alvum non adpertam, rhei portio decocto corticis infunditur.

Sic tandem paucarum spatio dierum valetudo mulieri optima restituta fuit. Urinae

hoc in morbo, licet periodico, nunquam sedimentum posuerunt *).

Peripneumonia periodica.

Joannes Baptista Cioca, vir 48 annorum, qui decem ante annos ex peripneumonia perfecte convaluerat, *die 9^a.* mensis januarii 1793, ex frigore, aestuante corpore suscepto, illico, ad horam secundam pomeridianam, corripitur a dolore circa jugulum, a tussi, et aliqua respirandi difficultate, simul a febre, in qua, praevio frigore sat forti trium horarum, subsequutus est calor per integrum noctem extensus.

Mane *diei 10^{ae}* dolor ad jugulum disparuit, ad scapulam et sinistrum thoracis ad latus conversus, cum manifesta febris remissione; donec iterum ad vesperas, eandem ad horam ac pridie, frigore, minus tamen forti ac diurno, iterum reverso, insecurus est calor.

Sic etiam *die 11^a*. concessa horis matutinis remissione conspicua, ad vesperas idem frigus rediit, nec vi quidem, nec diurnitate

*) Historiam hujus morbi redegit *Aloysius Morelli*, Senensis, M. D. nunc praestans medicinae practicae in celebri Academia Pisana Professor.

alterne respondens; qua die, nulla facta medela, in clinicum Institutum *Ticinense* delato aegro, sequentia in conspectum venerunt:

Facies pallida, dolor capitis summus, respiratio difficilis, tussis absque sputis, ponderis sensus ad pectus, pulsus frequentes, non tam pleni, nec duri, calor cutis sanum superans, dolor punctorius in latere sinistro thoracis, sub profunda respiratione adactus, decubitus in latere affecto facilior, os amarum, lingua vix quidquam alba, sitis summa, alvus a tribus diebus non soluta, urinae jumentosae, lienis tumor.

Venaesectio ad libram, decoctum hordei cum nitro et oxymelle fomenta emollientia ad locum dolentem, enema, praescribuntur.

Die 12^a. Ad noctem aeger male se habuit; nunc vero febris manifeste remittit; tussis cum sputis aquosis, respiratio adhuc difficilis, pulsus quidquam pleni ac vibrantes, non tamen frequentes, dolor a latere sinistro thoracis ad latus dextrum extensus, alvus semel adperta, urinae sedimento lateritio instructae, sanguis heri emissus corio obiectus, observantur.

Cognito morbi caractere, pulvis corticis chiae ad unciam in octo partes aequales

divisa, praescribitur, dosi una quovis bihorio sumenda.

Vespere. Parva febris accessit; dolor lateris, respirandi difficultas et tussis continuant. Pulsus vix frequentia peccant; molles sunt, non pleni. Alvum aeger non deposit. Urinae sedimento lateritio instructae sunt.

Enema emolliens, linctus ex mucilagine arabica, oleo amygdalino, syrupo althaeae, fomenta circa locum dolentem praescribuntur.

Die 13^a. Respiratio expedita, tussis pauca cum aliquo screatu, dolor ad thoracem immutus, pulsus naturales, lingua quidquam alba, os amarum; alvus semel soluta, urinae turbidae, sedimentosae. Pulveris corticis peruviani drachmae duae, cum pulveris rhei electi drachma una, in quatuor doses divisae, quarum unam aeger quovis bihorio capiat, traduntur.

Vespere febris non accessit; dolor a fortiore inspiratione adauctus, dyspnoea major, pulsus non frequentes, molles; os adhuc amarum; alvus bis mota. Linimentum volatile cum camphora loco dolenti inungitur.

Die 14^a. Respiratio poene libera, tussis minor, cum aliquo, eoque viscido, screatu;

dolor ad latus, nisi sub profunda inspiratione et sub tussi, nullus. Pulsus non frequentes, molles; alvus sexies deposita, urina lateritio sedimento praedita Praescribitur haustus salinus cum duabus drachmis extracti corticis.

Vespere, febris nulla, dyspnoea levis, tussis minor cum sputis quibusdam; dolorem aeger non persentit nisi sub fortiore inspiratione, sub tussi; os adhuc amarum.

Die 15^a. Per noctem multum, universo corpore sudavit; respiratio facilis, tussis pauca cum sputis viscidis; pulsus naturales. Vespere nulla mutatio; os quidquam amarum; urinae magis tinctae.

Die 16^a. Per noctem sudavit, respiratio facilis, tussis pauca cum sputis viscidis.

Die 17^a. Iterum per noctem sudavit. Febris nulla. Convaluit *).

E p i c r i s s i s.

In *Epitomes L. II. §. 185. p. 162.*, „peripneumoniam interdum periodicam in dolem ostendere“ diximus. Quod si hoc tunc temporis (1792) novum protinus non fuit; pauca tamen hujus rei memorabilis exempla eousque

*) Historiam conscripsit medicinae candidatus *Pessina*.

ad nos pervenerant. Atqui tamen, jam ex hoc solo, quod nullus fere morbus sit, cuius faciem *intermittens febris* aliquando non mutuetur: ut cuius naturae centenas historias, praeter *Tortium* *), collegit et *Casimir Medicus* **); quam facile proteiformis haec febris et inflammations partium ac viscerum subjugare sibi queat, concludi potuisse. Ac revera, intermittentis febris, una cum *pleuritide* incidentis, quamvis ea corticis efficaciam eluserit, specimen apud *Stollium* invenimus ***). *Pleuritidis periodicae exemplum* refert et *Strackius* ****), apud quem etiam scriptorem, febris *perniciosa*, et *ophthalmica* †) *arthriticae* ‡‡), et, quae pneumoniae vicina est, *catarrhalis*, reperiuntur historiae ‡‡‡). Non raro ventriculum in *perniciosa cardialgica* inflammari, lypiriamque morbum aemulari vidit *Burserius*, ita ut ante corticis usum se-

*) Therapeutice specialis.

**) Von periodischen Krankheiten.

***) Ratio medendi, Vol. IV. p. 91. 92.

****) Observ. med. de diversa febris continuae remittentis causa &c. p. 115. sq.

†) l. c. 114. sq.

‡‡) l. c. p. 143.

‡‡‡) l. c. p. 128. sq.

mel aut binis vicibus venam in brachio **se-cuerit** *). Eodem modo et *Bangius* vomitum inflammatorium; partim vero sanguineum, in *tertianis cardialgicis* descripsit **). Varios quidem in gyros hic theoria medicorum, quae huic explicando phanomeno impar est, sese contorquet; sed facta. coram quibus ea toties, maxime in eruendis morborum periodis, obmutescit, loquuntur; ac sub istorum imperio, incendia morbosa nunc aperte deflagrant, nunc sopiri, nunc protinus **ex-stingui** cernuntur.

Sic anno 1791, hiemali sub frigore, quo peripneumoniae in *Italia* quoque frequenter nimis dominantur, *Ticini* etiam dirus hic morbus epidemice, et, ut Schedulae nosocomii mortuariae nos docebant, sub strage ci-vium, quam antehac, longe majore, regnabat. Virum igitur quadragenarium, epide-mica hac lue correptum, in clinicum Insti-tutum suscepimus. Respiratio huic summa anxia, celer, ac p^{re}a dolore thoracis puncto-rio, ponderisque ad sternum sensu, vix non suffocans fuit. Tussis aspera aegrum vexa-bat, sputa hinc inde pauca, sed cruenta,

*) Instit. med. Vol. I. §. 165. p. 104.

**) Acta Societ. Reg. Havniens. Vol. I. p. 8.

expellens. Calor magnus, facies rubra, pulsus pleni ac duri, lingua sicca et rubra, sitis magna, alvus obstructa fuerunt.

Ex brevi et anhelosa aegri relatione experimur quidem, hunc morbum tribus abhinc diebus, horis pomeridianis magno cum fri-
gore, calore, ac iisdem, quibus nunc stipa-
retur, symptomatis incepisse; horis autem matutinis eundem pro magna parte remisisse; sed ardua nimis pulmonum inflammatio hic subesse nobis visa est, quin in morbo tot aliis nunc funesto, suspensionem symptomatum matutinam aut verisimilem habere, aut adeo in aliam diem sperari posse, credere-
mus. Ac ut verum fateamur, sub artis me-
dicae exercitio, viginti quinque per annos tunc jam extenso, nullum nobis pneumoniae periodicae exemplum, pro tali nempe recon-
gnitum, occuverat. Venam igitur, ad li-
bram sanguinis, adperuimus, decoctum al-
thaeae pro potu, fomenta lateri dolenti ad-
movenda, et enema praescripsimus. Altera
die, noctem inquietam fuisse, tandem vero,
sudores successisse nobis referunt. Calor corporis nunc multum imminutus, respira-
tio longe facilior, tussis, dolor lateris levio-
res, pulsus, etsi adhuc frequentes, minus

tamen pleni, vibrantes ac febriles sunt; loquela nunc liberior est. Mirantur omnes subitaneam tanti morbi tamque felicem metamorphosin. Horā pomeridiana, ejusdem diei, tertia, frigus magnum conquassat aegrum; respiratio mox anxia redditur, ac summe difficilis; tussis aspera dolorque lateris intensior redeunt, ac plenae discrimine peripneumoniae imago, qualis hesterna fuit, offertur. Nec tamen prima haec, a nobis ipsis facta tam conspicuae remissionis observationo, nos retinuit. quin, tam ob dictorum ferociam symptomatum, quam ob plenitudinem vibrationemque pulsuum novam venam denuo ad libram tandere vel quidquam dubitaremus. *Tertia die*, horis matutinis, promptius subintravit symptomatum remissio, hesternā adeo evidentior. Sanguis heri eductus corio iterum denso obductus est. De periodica nunc indole morbi prorsus convicti, corticis optimi unciam unam, remissionis tempore sollicite ingerendam praescribimus. Horā post meridiem consueta, febris quidem subintrat; sed hesternā longe levior, ac nullis fere pneumoniae stipata symptomatis. *Die quarta*, mane, perfecta apyrexia observatur; tussis pauca, dolor nullus, respiratio

libera est. Corticis drachma una omni hora porrigitur. Ad vesperas, nulla febris accessit, tussis, ut horis matutinis, levior, dolor lateris nullus fuit; in urinis sedimentum lateritium comparuit. Aeger post paucas dies, a tanto morbo restitutus, lares proprios petiit. Cum vero aegrorum in nosodochiam susceptorum, nisi omnium, plurimorum tamen, similis esset conditio; similis quoque medendi methodus apud istos, non minus felici sub omni, introducta fuit. Subsequente adeo anni 1792 hieme, non pauci, pneumonias periodicas passi, vel unā, vel altera sanguinis missione praemissa, corticis chiae efficaciam, ut in febre intermittente quavis alia, experti sunt.

Ab eo tempore, pleuritidem *intermittentis indolis* epidemicam descripsit *Carolus Blom* *). Peripneumoniae intermittentis historiam tradidit *von Hoven* **); ut igitur, cur vir celebris nobisque amicus, de *periodica pneumoniarum* quarundam, nisi cum febre intermitte
tente complicatarum, indole dubitaverit ***),

*) In Meckel's neuem Archiv der pract. Arzneyk. I.Th.
8. 232.

**) Versuch über die Wechselfieber. I. 8. 143.

***) *Reit*, Fieberlehre, II. §. 190. 8. 430. §. 201. 8. 467.

non satis perspicere queamus. Quodsi *Stoltio*, qui, ut jam diximus, pleuritidem cum febre intermittente incessisse vidit, hanc ipsam cum cortice jugulare non licuerit; vel incendium adhuc nimium in thoracis cavo haesisse, vel febrem ad lentas, quae periodos haud raro assumunt, quin intermittentium ideo ad classem spectant, pertinuisse suspicamur.

Ulterior vero rerum experientia nos docuit; *peripneumanias*, *pleuritides*, vere *adynamicas*, seu, ut vocant, *nervosas*, interdum *periodice* incedere, ac, ut plura in *Viennensi nosodochio generali exempla conspeximus*, absque omni cruoris detractione, feliciter solius administratione corticis chiae dissipari. Aliqua tantum ex istis hic adducimus.

Peripneumonia periodica, asthenica.

Josepha Tschobler, faemina caelebs, trigeminum octavum annum attingens, menstrorum quidem fluxu, debitum ad tempus, sed nimis abundante, ac vires non parum infringente instructa, dum vigesimum et tertium aetatis annum attigisset, a peripneumonia prehensa fuit vehemente, modo septem ve-

nae sectionibus fuganda. Ante quatuor annos a febre continua correpta, tres ultro menses decubuit, viribus per evacuationes tum sanguineas, tum alvinas, non parum exhausta. Ante duos annos de phthisi pulmonali suspecta fuit, quae tamen pituitosâ magis ex tabe constitisse videtur.

Die 27^a. mensis novembris 1800, hora nona matutina, invasit mulierem frigus ingens, quod ipsam per integrum diem fortiter vexavit. Accessit dolor pungens in latere thoracis sinistro, sub inspiratione ac tussi exacerbatus. Hora octava vespertina, successit calor, vehementiae frigoris aequalis; post trihorium interim sudor universo e corpore manat copiosus, per omnem fere noctem, cum virium jactura extensus. Cessante hac cutis secrezione, se liberam a febre personit aegra. *Die 2^a.* horis iisdem, ac heri, frigus, calor et sudor eandem urgebant; sed majore cum saevitia dolor punctorius in sinistra thoracis parte miseram invasit cum tussi, ac impedito prorsus hoc in latus decubitu. *Die 3^a.* cuncta symptomata, non mutato ordine, sed vehementia adhuc maiore, redierunt. Eodem res tenore *die 4^a.* morbi, seu 24^a. novembris, quâ aegra ad cli-

nicum *Viennense* Institutum suscepta fuit, incesserunt. Publico vero examini hic loci submissa, sequentia exhibuit:

Habitum corporis utcunque aspectu firum, dolores capitis, ad frontis regionem, cotinus, oculos ardentes, susurrum aurium, nares impervias, linguam siccām, mollem tamen, saporem amarum, respirationem, cum ponderis sensu, impeditam, dolorem, dum spiritus profundius educitur, magnum, punctorium, tussim frequentem, fere siccām, decubitum in latus thoracis sinistrum impossibilem, cutem mollem ac humidam, calorem longe maximum, pulsus, frequentes, sat plenos, duriusculos, facilitamen opere comprimendos, lassitudinem totius corporis magnum; alvum apertam.

De latente in thorace incendio dubium quidem non fuit; nec fuit de indole febris adynamica; ob accessionum interim extensionem, num continua haec esset, num vero intermittens; satis id certum videbatur. Pulmonum status, a praegressis morbis non parum labefactatus, morbi prognosin satis anxiam reddidit.

Decoctum ex radice polygalae Senegae, ad drachmas hujus duas, aquosum, cum liquo-

liquore anodynō Hoffmanni, ad drachmam unam, praescriptum fuit. Pro potu, decoctum salep, cum infuso liquiritiae propinatum, locus dolens thoracis cum linimento volatili inunctus, huic vero fomentum emolliens impositum fuit.

Die 25^a. Calor ac sudor hac nocte, quam praeteritis, mitiores fuerunt, somnus interim nullus accessit. Alvum aegra bis depositum. Hoc mane perstabant cephalaea, oculorum ardor, aurium susurrus; linguae siccitas, tussis, lateris sinistri ad thoracem dolor, et respirandi difficultas disparuerunt. Vespere, licet capitis dolor, susurrus aurium ardorque oculorum adhuc vigerent; lingua tamen mollis et madida fuit; peri-pneumoniae symptomata ex integro siluerunt. Febris per diem integrum se nulla manifestavit. Fomenta hinc et linimentum volatile seponuntur, continuatur in cœteris.

Die 26^a. De nocte, et quidem incipiente, accessit frigus sat vehemens, semialteram per horam exorrectum. Calor non longior, ac sudor hoc sequuntur. Lassitudo major haec excipit, ac somnus brevior conceditur. Hoc mane, dolore capitis, susurret aurium, et oculorum ardore exceptis,

aegram ab omni insultu immunem reperimus; pulsus erant parum frequentiores, duriusculi, digito tamen perfacile cedebant,

De febris indole vere periodica jamjam convicti, Corticis decoctum cum illo polygalae junctum propinamus.

Ad vesperas, praeter urinas turbidas, sedimento lateritio instructas, nulla observata fuit rerum mutatio. Decoctum salep, aegrae molestum, aqua simplex supplevit.

Die 27^a. Eodem tempore, quo he i, ad noctem paroxysmus, sed mitior, breviorque accessit. Somnus aliquis hunc secutus est; et nunc aegrae de aurium susurru, cephalaea, oculorum ardore parum conquevitur, pneumoniae vero symptomata nulla sunt.

Die 28^a. Ad vesperas heri, per horas aliquot, horripilationes interruptae, sed fortiores, calor brevis, ac sudor accesse- runt. Nox denuo fuit inquieta: dolores scilicet, rheumaticis similes, nunc in hac parte, nunc in illa vigentes, somnum om- nem excluserunt. Hoc mane nulla febris vestigia supersunt, perflicantur partes cum spiritu vini camphorato. Ad vesperas, sym- ptomata longe mitiora sunt, ciborum ali-

quod desiderium, mentis hilaritas se produnt. Continuatur usus corticis.

Die 29^a. Quievit aegra per noctem, atque a somno, doloribus nullis intermisto, refocillatum se persentit. Nulla ad vesperas mutatio.

Die 30^a. Levis se ad noctem insultus febrilis manifestavit, brevi spatio disparens somnumque non arcens. Ab isto, res optime incedunt. Decoctum amarum, loco corticis, praescribitur.

A 1^a. mensis decembris ad 3^{am} vires, sine qua vis molestia, quotidie auctae fuerunt. Menstrua tunc omni absque turba redierunt, de fame mulier conqueritur, et 5^a demum die ad suos, hilaris revertitur *).

Peripneumonia subcontinua, nervosa.

Catharina Morinelli. viginti annorum femina, hucusque complexionis felicis, tribus abhinc mensibus, nulla patente causâ, nullaque tunc subsequente labe, menstruis orbatur, et sana usque ad 24^{am} mensis novembris, 1794 diem vivit; qua tandem die,

*) Ferdinandus Stecher de Sebenitz, Galicianus, Historiam morbi conscripsit.

aestuante corpore, refrigerio se exponit, et paulo post a coryza, cum aliquo dolore capitis, tussi, spirandique difficultate juncta, corripitur. Paucam attentionem huic malo tribuens, nulloque artis subsidio usa, per tres dies leviter aegrotavit; sed 28^a novembris, ad meridiem, sat intenso a frigore, ad vesperas usque durante, invaditur. Sequitur calor, et sub lucis ortu, sudor. Febris ista cum forti cephalaea, susurru aurium, dolore pectoris gravativo, ad sternum pungente, praecordiorumque oppressione stipata, matutines ad horas sat sensibili ratione remittit, et eadem hora, sed majore indies intensitate revertitur. Notandum interim est, quod intervallum illum binos inter paroxysmos positum, perfecta quiete a febre non gaudeat: cum cephalaea, susurrus aurium, dyspnoea, tussis, laterisque dolor perseverent, vexentque aegrotam. Sic per biduum res se habuit, si vomitum, quem nudius tertius (30^a novembris) semel, sub stadio caloris, passa est, et notabile symptomatum incrementum excipias. Heri vespera nosocomium *Ticinense* mulier petiit, assumto ibidem emeto-cathartico, quater

vomuit, ac ter liquida multa per alvum deposit.

*Die 2^a decembris, mane, aegrā, Instituto clinico commissa, sequentia, notatu digna nobis offert: Caput nempe, sub tussi imprimis, magnopere dolet; facies rubet, tinniunt aures, viae ad fauces per nares impediuntur, os amarum, lingua albida, respiratio difficultis est, et ab intensissimo illo, sub sterno latente, dolore, magis adhuc magisque redditur ardua. Tussis frequens, sputo nullo comitata, dolorem adauget. Decubitus in utrumque latus aequa difficultis est, doloribusque ad integrum vertebrarum columnam, ad lumbos imprimis, infixis, redditur difficultior. Magna, sub his, miserae jactatio, suspiria, pulsus interim sanis parum frequentiores, sed duri ac pleni sunt. Prae aliis symptomatis vel maxime de debilitate, de doloribus ad lumbos et ad sternum, atque de aurium susurrū aegra conqueritur. Praescribitur hauustus salinus cum pulveris *Doweri* granis quindecim. Decotum pro potu, emolliens.*

Exacerbatio, ad meridiem, sine frigore praevio, imo, cū intenso mox calore accessit. Ter alvum aegra deposit. Dolor

capitis, tussis, dyspnœa adhuc continuant; suspiria adsunt frequentia. Pulsus parum certa frequentes, sed nunc debiles, minime vibrantes, variabiles observantur.

Praescribitur haustus salinus cum granis decem moschi optimi. Linimentum volatile cum camphora, loco dolenti illinitur.

Die 3^a. Noctem tranquillam aegra transagit, ac symptomata sensibiliter mitigata snnt: dolor nempe ad pectus sedatus, tussis pauca fuit; alvum ter depositum; pulsus molliores magisque debiles redduntur. Haustus salini unciae septem, cum tribus moschi granis, omni bihorio ad quartam partem, propinatur.

Versus meridiem, dolor ad dextrum thoracis latus acutissimus, ejulatus aegrae exprimens, insurrexit. Versus quartam po- meridianam, exacerbatio mox cum calore vel maximo accessit. Pulsus, praeter frequentiam majorem, nil mutati sunt. De lateris dolore molesto, de nullo vero ad sternum, ad lumbos, parum etiam de tussi, congueritur. Suspiria frequenter aegra dicit. Haustus salinus absque moscho porrigitur; linimentum volatile cum camphora loco dolenti inungitur.

Die 4^a. Versus medium noctem imminuta fuerunt symptomata. Nunc vero aegra a febre quasi libera dicenda est. Dolor nempe, heri tam atrox nunc fere penitus dispaluit; perparum tussit, faciliter spiritum ducit, nec tam frequenter suspirat. Caput minus quidem ac antehac, semper tamen dolet; aures parum tinniunt; os paulo minus amarescit; pulsus fere naturales sunt.

Praescribuntur sequentia:

R. Decocci cort. peruv. unc. IX.

pulv. cort. ejusd. dr. VI.

Syrup. Cort. ejusd. unc. I.

Capiat omni bihorio quartam partem.

Post meridiem, nova superaccessit exacerbatio. Suspiria frequentius aëgra dicit; de dolore lateris sinistri versus lienem conqueritur; aures magis tinniunt, doletque magis caput; calet multum et copiose sudat. Pulsus a pristinis nihil mutati sunt. Mitior hesternâ fuit haec exacerbatio. Continuantur in cortice.

Die 5^a. Hac nocte, hora undecima, frigus aegram corripuit, ac per horam duravit. Accessit dein calor, ac denique sudor. Paroxysmi hujus tempore, singula symptomata, quae heri vespere jam paulo exaspera-

bantur, valde increverunt. Nunc vero sensibiliter adhuc aegra febricitat, frequentior tussis, sputa pauca sunt. Calet valde, pulsus pleniores sunt, et caput intense dolet. Suspenditur cortex, et haustus salinus substituitur. Cucurbitulae, numero octo, applicentur dolenti lateri.

Ad meridiem, symptomata, quae jam mitigabantur, iterum sensim exasperata sunt: calor fortis accessit, ac dolor lateris profunde ad scapulam sinistram translatus est. Suspiria sunt frequentia; calet insigniter cutis, humida tamen, et aegra valde morosa est.

Praescribitur haustus salinus cum quatuor granis moschi.

Die 6^a. Dolor ad scapulas silet; sed alter nunc ad latus thoracis sinistrum negat. Non nisi auris dextra nunc tinnitus, sinistra vero a susurru prorsus libera est. Magna aegrae morositas est. Pulsus interea nil mutati sunt. Continuatur in iisdem.

Vespere iterum exacerbatio, cum summo aestu incipiens, accessit. Continua nunc sunt suspiria; de lateris dolore conqueritur; tussis pauca est; cephalalgia molesta urget. Pulsus debiliores sunt. Alvus aperta est.

Praescribuntur aquae cinnamomi unciae tres, cum duabus unciis haustus narcotici. Capiat unciam omni bihorio.

Die 7^a. Valde sudat aegra et saepe tussit. Suspiria multa, pulsus debiles sunt. Dolor ad latus et ad caput urget. Medicina sequens praescribitur:

R. Decociti corticis peruv. unc. vj.

Extracti Cort. ejusd. drachm. iij.

Haustus narcot.

aquae cinnamomi à unc. ij.

M. Capiat unciam unam cum dimidia omni bihorio. Vini quoque libra per diem conceditur.

Vespere, dolor et cephalaea fere evanescunt.

Die 8^a. Bis vomuit aegra; coetera symptomata parum urgent, sudat copiose, pulsus nunc sunt debiles. Vespere iterum bis vomuit; pulsus lentiores sunt, dolor ad pectus imminutus est.

Die 9^a. Cessavit vomitus; coetera sunt eadem. Repetitur medicina ex corticis.

Die 10^a. Optime quievit aegra, pulsus naturales sunt. Dolor pectoris idem.

Emplastrum vesicans ad locum dolentem

tem ponitur. Haustus salinus cum pulvere:
Doweri porrigitur.

Die 11^a. Febris nulla; disparuerunt singula morbi symptomata.

Post paucas dies, convalescens ad suos felix revertitur *).

Peripneumonica periodica.

Vincentius Bauer, famulus Viennensis vinti trium annorum, praeter variolas, nunquam a morbis vexatus, mense junii 1804 a tertiana febre intermittente invaditur, ac, debito more tractatus, ab eadem brevi tempore liberatur. *Die 16^a.* mensis julii, horâ 11^a matutina, praevia siti insolita, frigus vehemens eundem prehendit, cui mox se tussis aspera, frequens, cum sputis paucis aquosis, cum dolore ad sternum pungente, urente, gravi dyspnoea, et ponderis ad pectus molesta sensatione adsociat. Succedit his calor, cephalaea; ac tandem sudor subsequitur. Ad vesperas apyrexia subintrat, ac praeter lassitudinem, aeger nihil accu-

*) Quem immatura morte, nobis ac scientiae eruptum adhucdum amare lugemus; filius proprius, *Franciscus Frank*, historiam hanc conscripsit.

sat. *Die 17^a* cum primas matutinas ad horas sibi sanus videretur: versus horam undicimam ab iisdem ac heri, mitioribus tamen, symptomatis tentatur; vespere denuo ab omnibus incommodis, lassitudine excepta, libero. *Die 18^a* idem redit febris paroxysmus: cephalaea, dolor ingens, oppressio ad sterni regionem, tussis continua, et magna respirandi difficultas. Circa vespertas, aeger, sensu ardoris ac doloris ad caput adhuc detentus, ad clinicum Institutum *Viennense* defertur. Tunc vero pectus ab omni incommmodo fuit liberum.

Cum igitur hic juvenis jam ante mensem a febre intermitente sanatus, evidentius in morbum eundem, cum aliis modo symptomatis, incidisset; cum apyrexia; pro febre vel quotidiana, vel tertiana dupli, solito majore hucusque gavisus esset; cum praeterea nulla deprimis viis affectis symptomata testarentur; mox pulvis ex chiae corticis uncia una, in octo partes divisus, quarum unam quavis hora aeger assumeret, praescriptus, — ultra vero aquae menthae unciae sex, cum liquoris anodynii mineralis *Hoffmanni* drachma una, de quibus unciam

singulos post pulveres hauriret, porrectae fuerunt.

Die 19^a. Hac nocte aeger dormivit. Hodie mane, hora octava, cephalaea nulla, sitis hesternâ minor, appetitus ciborum aliquis, febris nulla, pectus liberum. Ad horam vero circiter decimam, paroxysmus iterum cum tussi admodum vehementer, cumque sputis copiosis, sanguine quidquam tintis, revertitur. Nulla vero pectoris oppressio, dolor nullus se manifestant. Ad horam undecimam, frigus illi se adsociat, ad meridiem usque extensem, minus tamen ac alias violentum. Succedit huic calor, ac tandem sudor; quae singula ad horam secundam pomeridianam durarunt; tussis vero ad horam tertiam usque protracta fuit, qua cessante, perfecta apyrexia secuta est.

Die 20^a. Horâ octava, res bene incedunt, nec tussis ulla, nec alia pectoris affectio observatur. Per omnem sic diem a febre consuetisque illius phoenomenis aeger plena libertate gavisus est.

Die 21^a. Nec hac die febris, aut ullum salutis incommodum revertitur. Corticis nunc omni trihorio drachma porrigitur.

Diebus 22^a 23^a cum optime se juvenis ha-

beret; loco corticis, eidem decoctum amarum praescriptum, ille ipse vero de mensis 25^a, perfecte sanus, dimissus fuit *).

Pleuritis periodica.

Maria Anna Postler, 44 annorum fœmina, loca profunda et inundationibus subjecta circa Danubiam inhabitans, variolas et morbillos necdum passa, decimo nono aetatis suae anno fluxum menstruum, vecto semper ordinem redeuntem, experta est. Contracto matrimonio, absque graviditatis subsequae ratione, hic fluxus per sex menses suppressus fuit. Tunc denuo reversus, praescriptum haec uteri secretio rythmum absolvit; sed de novo, sine causa, per novem mensas retentus, fluxus ille in uteri haemorrhagiam, octodecim ante menses, conversus est. Cessante hoc profluvio, menstrua quoque haec usque in diem cessavit secetio. Ante 14 dies, dolor lancinans brachium sinistrum, tam violens, ut ejulatus excitaverit, obsedit. Per dies quatuor hi cruciatus continuant; tunc dolor brachium deseruit,

*) Aegri curam habuit et historiam exposuit *Clemens Settale*, med. Candidatus.

ac mox in artus omnes diffusus fuit, Venam chirurgus tunc operit, ac praescripti medicamenis ope alvum, prima die vigesies et quinquies, altera die quinquies, sollicitat. Tunc frigus magnum, calor aequalis, ac tandem sudor subintrant. Jungitur his dolor lateris dextri thoracis violentus. Apyrexia tandem conceditur. Remanent artuum dedolatio, capitis obnubilatio, respirationis difficultas.

Idem paroxysmus tertia die, eadem hora, iisdem sub symptomatis, redivit. Remedium et nunc chirurgus, incognitum, porrigit; febris supprimitur.

Recruduit vero ista, post octiduum, 24^a mensis junii 1804. Hac scilicet die corripitur mulier a frigore, dimidiā per horam durante; subsequitur calor, cum cephalalgia, siti, dolore ad latus dextrum thoracis pungente, oppressione pectoris ac magna respirationis difficultate. Post duas horas sudor successit. Hoc demum absoluto, capitis et dextri thoracis dolor remanet. Nox turbatur insomniis.

Die 25^a, circa quintam pomeridianam, eadem hora, qua primi paroxysmi apparuerant, idem paroxysmus anticipat, a priori-

bus in eo, quod calor per omnem extensus esset, diversus.

Die 26^a. Haec aegra ad clinicum Institutum Viennense delata, sequentia nobis obtulit: Corpus bene nutritum, caput grave, parum dolens, oculorum ardorem, genas quidquam rubentes, linguam puram ac humidam, sitim magnam, pustulas ad oris angulos et labium inferius, respirationem difficultem, oppressam, cum dolore ad latus thoracis dextrum pungente, profundiore sub inspiratione plurimum aducto, decubitus in latus sinistrum prorsus impeditum, tussim non adeo frequentem, cum sputis paucis, nunc albis, nunc flavescentibus; pulsus non frequentem, naturali adeo tardiorum, debilioremque, calorem cutis non magnum, alvum apertam, totius corporis lasitudinem. Decoctum radicis saepe pro potu, fomentationes ad latus dolens emollientes, praescripta fuerunt.

Die 27^a. nox fuit quieta; hodie mane febris nulla, respiratio est facilis, absque dolore peragenda, tussis pauca, calor, pulsus naturales. Nec ad vesperas febris, si aliquam in pulsibus irritationem excipias, comparuit.

*Die 28^a. Somnus concessus fuit; exper-
gefactâ vero aegra, respiratio quidquam dif-
ficiolor est; dolor lateris, etsi aliquomodo
mitior, recruduit; sub profunda inspiratio-
ne tussis, dolorque major; abdomen, ad at-
tactum parum dolens, caput magis grave,
quidquam vertiginosum est.*

Decoctum corticis saturatum cum liquo-
re anodyno minerali *Hoffmanni*, quovis biho-
rio ad uncias tres sumendum, praescribitur.
Ad vesperas, symptomata matutina dispa-
ruere omnia.

Sic itaque, continuato per plures dies
cortice, aegra, nulla amplius febris acces-
sione vexata, et libere respirans, clinicum
Institutuu die 2^a julii laeta deseruit.

Peripneumonia cum oesophagi abscessu.

Miserrimae sortis mulier 3^o annorum, a
15 jam annis nupta, quatuor proles enixa,
pulmonum inflamatione aliquoties correpta,
per sex jam annos ab istis, respirandi diffi-
cultyte ac magna in tussim proclivitate la-
boraverat, cum *die 4^a martii 1794* ad ve-
speras, lumborum dolore ad dimidiā us-
que columnam, vertebralem ascende, fri-

frigore per aliquot horas protenso, vomitu materiae viridescentis, amarissimae, diarrhoea, debilitate magna. capitis gravitate auriumque susurru vexata fuit. His sub aerumnis, medium versus noctem, febris sat vehemens, calor, tussis et spirandi difficultas comparent. Altera die, ubera, quae, lacte satis referta, puero per sex menses jam praebuerat, collapsa experiuntur et sicca. *Die 3^a* morbi, vomitus alisque fluxus omnino cessarunt; cum interim continuans ad lumbos dolor aegram multum vexaret, viginti cucurbitulae illis adpositae fuerunt, quarum ope dolor evanuit, ac duos fere per dies siliuit, remanentibus tamen febre, tussi ac spirandi labore. *Die 6^a* morbi, novum accessit frigus, sub quo dolor ad costas spurias dexteri lateris punctorius, sub tussi ac profunda inspiratione adactus, comparuit. Rebus ita se habentibus, *die 12^a* mensis ejusdem, morbi vero 8^a, ad clinicum *Ticinense* Institutum aegra defertur, et quae sequuntur, observanda nobis exhibuit.

Colorem faciei vix mutatum, capitis dolorem super orbitis aliquem, obnubilationem quamdam sensuum, dyspnœam, tussim siccam, dolorem ad costas thoracis dexteris spu-

rias, decubitus in utrumque latus non omnino impeditum, linguam aridam, sitim, calorem aductum, pulsus duros, frequentes, magnae debilitatis sensum, oris nullam amaritatem, alvum apertam.

Venaesectio ad novem uncias instituta, decoctum hordei cum nitro et oxymelle, fermenta emollientia ad locum dolentem praescripta fuerunt.

Die 13^a. Sanguis corio obductus est. Hac nocte elapsa quievit aegra, tussis pauca, dolor aliquantum imminutus, respiratio tamen valde difficilis, sitis major, et calor auctus; alvus bis mota, pulsus frequentes, duri. Repetitur venaesectio ad uncias decem.

Vespere pejus se habet. Sanguis a corio obtectus; per omnem diem aegra soporosa, respiratio anxia, difficilis, tussis sicca, cutis arida, dolor auctus, sitis ingens, pulsus pleni, et manifeste vibrantes fuerunt. Sanguinis libra e vena dicitur.

Die 14^a. Nulla remissio, nulla hac nocte quies fuit ob tussim. Respiratio est difficilis, pulsus pleni, frequentes, duri sunt; alvum ter depositum. Vena iterum tunditur ac decem sanguinis unciae detrahuntur. Vespere exacerbatio accedit, tussis continua,

sputa nulla, sitis intensa, pulsus frequentiores, duri, vibrantes sunt; dolor, sub tussi, ad mucronatam sterni partem accusatur. Nova instituitur, ad uncias novem, venaesectio.

Die 15^a. Parum hac nocte, ob tussim saevientem, dyspnoeam, quievit; caput grave, dolor ad sternum quidquam imminutus; pulsus frequentes, vibrantes, sanguinis detractio fit ad decem uncias, ac eadem venaesectio ad vesperas reiteratur. Emulsio oleosa praescribitur.

Die 16^a. Sanguis hucusque semper a corio detectus. Tussis, dyspnoea continuant; dolor quidquam imminutus; pulsus vibrantes. Decem iterum sanguinis unciae mittuntur. Vesicans loco dolenti nunc adponitur. Emulsio cum nitro praescribitur.

Cum symptomata ad noctem adaucta essent, sanguis de novo educitur.

Die 17^a. Nox fuit inquieta continuante tussi; calor tamen cutis ac respirationis difficultas quidquam mitescunt. Repetitur emulsio oleosa.

Die 18^a. Tussis continua per noctem fuit; respiratio difficilior, dolores tamen cessarunt; calor et sitis urgent; alvus libera. Ad ves-

peras exacerbatio summa accedit, tussis sicca, pulsus manifeste duri sunt. Sitis ardens, calor ad tactus, caput grave est. Sanguinis iterum unciae octo emittuntur.

Die 19^a. Nox satis quieta fuit, tussis moderata, respiratio minus difficilis, aliquis mador ad cutem comparet; caput sudat, dolores nulli; et se melius habere, ipsa aegrota advertit. Praescribitur haustus salinus cum nitro. Vespere, omnia in melius continuant. Mixtura oleosa propinatur.

Die 20^a. Pro voto res incedunt: calor fere nullus, sitis moderata, pulsus frequentes, sed non duri, respiratio longe liberior. Praescribitur haustus salinus cum grano tartari emetici.

Die 21^a. Eodem tenore incedit morbus, tussis moderata, multa vero sputa, sat bovae indolis, sunt.

Die 22^a. Sputa continuant, sudor partialis ad frontem, pulsus frequentes et manifeste duri.

Die 23^a. Nox fuit quieta, sputa sunt copiosissima; sed *tumoris* chronicus, *ad jugulum* haerentis, tensionem aliquam observamus; nullum tamen aegra hic dolorem accusat.

Vespere, aliqua exacerbatio, praegresso frigoris sensu aliquo.

Die 24^a. Tussis et sputa eodem modo continuant; irritatio in pulsu manifesta est, et dolorem aegra ad juguli tumorem accusat. Augetur ad vesperas hic dolor, et aliqua in deglutiendo adest difficultas.

Die 25^a. Omnia in eodem statu haerent. Ad vesperas, dolor sub deglutitione iterum auctus; tumor manifeste increvit. Frigus et febricula accesserunt.

Die 26^a. Parum quievit aegra, debilitatem summam accusans, pulsus contracti et duri sunt; tumor summopere calet ac dolet; deglutitio difficilior quam antehac. Ad vesperas dolor lancinans ad sedem tumoris est; pulsat et rubet tumor; tussis et sputa continuant sat copiosa. Cataplasma tumori impunitur cum linimento volatili.

Die 27^a. Sat bene quievit aegra hac nocte et alvum depositum, dolor tamen, et deglutitionis difficultas cotinuant. Tumor, adhuc dum inflammatus et durus, pulsat ac dolet. Pulsus duritiem prodit. Solutio mannae in sero lactis propinatur.

Sic ad *diem 29^{am}* usque res incedit. Sputa magna copia prodeunt. Decoctum corti-

cis cum emulsione arabica porrigitur. Ad vesperas dolor multum aductus, deglutitio valde difficilis est.

Ad diem 2^{am} mensis Aprilis res ita, sub exacerbationibus hinc inde, continuant. Post medium noctem, tumor per oesophagum, cum insigni puris quantitate per vomitum rejecta, apertus fuit. Ex momento aegra sublevatam se sentit. Vespere tumor subsedit, mollis fuit et indolens, febris fere nulla; deglutitio facilis. Sic ad sextam usque Aprilis diem convalescentia obtinetur perfecta, suisque aegra felix restituitur *). Circa idem tempus, simile fere exemplum habebatur in *Ticinensi* nosodochio. Peripneumonia scilicet, cuius curam habuit vir expertissimus, ac noster in cathedra *Ticinensi* tandem successor, *Raggi*, in juguli totius praegrandem tumorem abivit. qui, profunde suppuratus, felici cum exitu sponte in oesophagum appetus fuit.

*) Auctor historiae est *Ladislau Robolotti*, Cremonensis, med. Candidatus.

*Peripneumonia cum oesophagi tumore
lethali.*

Sors faeminae alterius, triginta annos natae, 1789 in clinicum *Ticinense* Institutum susceptae, non tam felix fuit. Haec scilicet, a peripneumonia vehementer admodumprehensa, quarta morbi die ad nos delata, sex vero per dies venaesectionibus aliisque remediis solitis pertractata, ab inflammatione pulmonum vix non in totum liberata videbatur; cum altera die, post noctem insomnem, de anterioris sinistrique juguli ardore, dolore, sub deglutitione auctis, conqueri inciperet. Febris tunc nova mulierem, satis tamen moderata, invaserat. Inspectis faucibus, nec in ipsis, nec ad velum pendulum, aut ad tonsillas, rubor comparuit; monuit vero aegram: non hic loci, sed profundius, circa sterni principium, ad sinistra, dolorem urgere. Tumor interim hic loci nullus, neque calor major fuerunt. Respiratio, ut heri, satis videbatur libera. Potus assumtus, locum dolentem transibat quidem, sed dolorem augebat. Cataplasma emolliens, illito prius linimento volatili, ad illum posuimus. Tres vero post dies, liquidis jam omnis negabatur ad ven-

triculum accessus; atque tunc quidem locus dolens quidquam turgebat, et ad attactum valde dolebat. Febre simul ac pulsuum duritie auctis, binas adhuc sanguinis missiones instituimus. Sed alterum tunc, insolitus prorsus, nec visum nobis antehac phoenomenon comparuit: manus scilicet sinistra, ad dorsum oedematosa, tumere primum, dein et brachium ac mamma sinistra sensim sensimque insigniter inflari coeperunt.

Haec ultima nempe, absque ullo rubore, cum antehac flaccida a thorace pependisset, erecta nunc, ut in virgine torosa, maximam thoracis partem sinistri occupabat, alterâ mamma triplo certe volumine major, ad attactum renitens, tensa, nec indolens. Tumor vero brachii, a manu incipiens, ad humerum usque procedebat, insignis plane, ac motum partis hujus prorsus impediens. Incepit nunc et respiratio fieri difficilior, ac adhibitis licet fomentis, primum siccis, dein emollientibus, et mamma et brachium mole semper ac dolore increverunt. Tumor tunc ad jugulum sinistrum auctus, tracheam comprimendo, animam ducendi facultatem vix non omnem ademit, ac infelicem tandem mulierem die morbi decima septima suffocavit.

Sectio cadaveris.

Incisis super loco juguli sinistro integumentis, ac musculis remotis, tumor ovi magnitudinis, profundus, cum vicina trachea cohaerens, a dextra oesophagi parte exoriens, ad venam jugularem, quo loco huic ductus thoracicus inseritar, extensus, et hanc non minus, quam venam subclaviam comprimens, versus apicem tracheae proprium, jam quidquam pure subliquido repletus, comparuit. Vasa mammae lymphatica innumera, quasi injecta, suis cum glandulis turgebant insigniter. Similis fuit glandularum subaxillarum, ductuumve lymphaticorum, — quidquod istorum etiam venarumque omne per brachium constitutio. In thorace sinistro unciae aliquot seri, circa pulmonem, haud multum inflammatum, stagnabant. Omnis igitur tum brachii, tum mammae tumor, ex impedito sanguinis non minus, quam lymphae his e partibus reditu, suffocatio vero aegrae, ex tracheae per tumorem vicinum compressione, venerunt.

De peripneumoniae exitu in gangraenam.

Ubi de peripneumoniae exitu, in *Epitomes*, L. II. §. 193. p. 148. locuti sumus, diximus simul: „de *gangraena pulmonum*, rarissimis, „quae ipsimet nos vidimus, exemplis nobis „constat. In pulmonis, cum pleura, simul „inflammata, concretione, hujus quidem „cum illo communicatam conspeximus gan- „graenam“ Non parum haec assertio, illi plurimorum de peripneumonia scriptorum adversatur; cum interim centena defunctorum ex ista hominum cadavera cum majore praecisione secuerimus; vix non omnem pulmonum ex illo morbo *plumbeum* vel et *nigrum colorem*, ex *sanguine* venire intelleximus: qui cruor, aegro diutius in dorsum decumbere coacto, vel et cadavere hanc in partem, per diem aut ultra, reposito, in vasis et parenchymate posterioris maxime regionis pulmonum restagnat, atque nec partium solidarum corruptionem gangraenosam, sphacelosam, nec ullum, quem gangraenae humidae spar- gunt, foetorem agnoscit. Vel igitur aegri pneumoniis dententi, nunc ex pulmonum par- enchymate ac bronchiis per secretiones in illis morbosas celeriter infarctis, oppletis; —

aut ab hydrope thoracis, hoc viscus inundante, comprimente; — vel per vomicas, abscessus *suppurantur*; — vel a *pseudomembranis* pulmones exterius, in modum vaginae strictioris, involventibus angustum in spatium hi coguntur, *coarctantur*; — vel partibus vicinis, pleurae costali, diaphragmati, pericardio, mediastino iidem *concrescunt*; — vel demum *duritiem*, futurae dyspnoeae matrem, concipiunt ac fovent; rarissimis vero in casibus respirationis hoc viscus gangraenae subjicitur. De hac igitur veritate convicti, ac *Vindobonensi* demum nosocomio amplissimo in rebus medicis dirigendo praefixi, dum in schedulis istius mortuariis frequentissimam *gangraenae pulmonalis* mentionem injici videremus; cadavera eorum, qui ex ista periisse dicebantur, sedulo aperiri curavimus; atque nec unum quidem ex ipsis, de vera gangraena testimonium dedissemus reperimus. Cum vero descriptio tam rari exitus morbi frequentissimi ac simul quamplurimis lethalis, ad historiam illius naturalem pertineat; duo, quae nobis propria sunt, gangraenae pulmonalis exempla, quorum primum, ex inflammatione ad musculos thoracicos et pleuram, concreto huic ultimae pulmoni commu-

nicata venisse, — alterum, ob defectum de-
structae pulmonalis substantiae, nequidem
sine magna restrictione gangraenae nomen
meretur, hic exponimus.

*Gangraena pulmonis et musculorum thora-
cicorum.*

Carolus Antonius Fradagradi, ad clinicum
Institutum Ticinense, die 12^a Decembris 1785
susceptus, per duos integros menses labora-
verat febre erratica, intermittentum familiae
adfini. Nullis contra hanc auxiliis frutus,
ac suis laboribus intentus, in febrem conti-
nuam incidit cum virium prostratione, fri-
gore, calore, tussi, sputis sanguine quid-
quam tinctis, dolore thoracis sub tussi auctis
ac plurimum molestis. Continuabant haec
symptomata per decem dies cum exacerba-
tionibus vespertinis, aliquando cum deliriis.
Postquam clinicum Institutum aeger acces-
sisset, sequentia nobis obtulit morbi phoe-
nomena: colorem cutis ex rubro flavescen-
tem, oculorum albugineam flavam, saporem
inquinatum, linguam ac dentes muco denso,
flavescente obductos, pulsus exiles, debiles,
subduros, respirationem laboriosam, tussim
difficilem, sputa tenacia.

Praescribitur haustus salinus, cum vini antimoniali *Huxhami* drachma una, camphorae solutae granis tribus, et oxymellis uncia una. Clyster injicitur, ac duo vesicantia ad crura ponuntur. Ad vesperas, accessio mitior, alvus ter soluta, lingua ad apicem humidior est.

Die 13^a. Somnus nocte elapsa paucus accessit. Nunc tussis aucta cum sputis tenacissimis, pulsus minus humiles. De aliquo dolore versus dextram et superiorem thoracis partem aeger conqueritur. Respiratio frequentior ac magis difficilis est. Lingua, dentes puriores sunt, oris amaror continuat.

Haustus salinus cum tribus Kermetis granis, ac decoctum emolliens pro potu porrigitur.

Die 14^a. Noctu sat bene dormiebat, modo tussi molestatus. Hodie pulsus minus frequentes, sputa facilitiora sunt, alvum aeger bis depositum. Ad vesperas, calor ad caput maximus, pulsus frequentior. Sequitur nox insomnis. Dolor ad latus dextrum respiratio magis anxia, sputa copiosiora, sed flava, lingua sicca. Solutio tamarindorum, cum cremore tartari, et grano tartari emetici, paulatim sumenda traditur. Ad noctem

exacerbatio, sputa difficillime prodeunt. Ves-
sicans loco thoracis dolenti imponitur.

Die 15^a. Nox satis quieta fuit. Nunc
lingua purior, os non amarum, oculorum
flavedo disparuit. Tussis continuat cum
sputis copiosioribus non flavescentibus. sed
aspectu *purulentis*. Pulsus molles debiles-
que, vires prostratae, urinae cum sedimen-
to lateritio. Haustus salinus cum vino an-
timoniato et camphora, repetitur. Vespere,
exacerbatio, caput quasi constrictum, pon-
derosius.

Die 16^a. Noctem placide transegit aeger,
sudavit, ac alvum abunde depositus; tussis
minus molesta, sputa copiosiora sunt. Dolor
in dextro thorace obtusus, ad ejusdem la-
teris scapulam extenditur. Urinae sedimē-
to praeditae.

Die 17^a. nox hesternae similis, sudor co-
piosus, pulsus minus frequentes ac debiles.
Adpetitus ciborum aliquis.

Die 18^a. Nulla mutatio; cutis flavedinem
amisit. Sedimentum furfuraceum in urinis.
Nulla ad vesperas exacerbatio.

Die 19^a. Quievit noctu, de *ardoris* sensu
ad locum thoracis pridem dolentem conque-
ritur aeger.

Die 20^a. Nox tranquilla, fames accusatur. Augetur victus. Aliqua ad vesperas exacerbatio.

Die 21^a. Nox insomnis, pavoribus intermista. Sitis ingens, respiratio laboriosa, sputorum rejectio difficilior, dolor ad scapulam molestus, succedunt. Vesicans ad scapulam ponitur.

Ad vesperas, symptomata augentur, ac dolor in dextro ac superiore thorace continuus est. Sputa sanguine inspersa, pulsus duriusculi, frequentes, respiratio valde laboriosa, caput grave, lingua sicca, virium prostratio. Frigus ab aegro suscep- tum fuisse referunt.

Die 22^a. Nox minus ardua. Sudoribus aeger perfunditur. Remittunt nunc symptoma; pulsuum tamen adest durities.

Ad vesperas, similis hesternae exacerbatio. Venaësectio instituitur, enema injicitur.

Die 23^a. Tussis sicca, sudores copiosi, inutiles, pulsus parvi, duri, respiratio labiosa. Sub quovis corporis motu, dolor ad scapulam dextram exoritur. Bina ponuntur vesicantia.

Ad vesperas exacerbatio, et cum sym-

ptomata dyspnoeae, doloris urgerent, sanguis ad septem uncias emittitur.

Die 24^a. Nox admodum molesta. Dyspnoea, tussis, dolor vexaverant aegrum. Sic ad 27^{am} usque res aequo more, cum vespertinis exacerbationibus incedebant, viribus semper magis fatiscentibus. Hac die magna sputorum fuit copia; œdema in dextrae manus dorso, et ad pedes comparuit. Continuus in dextra scapula dolor. Corticis decoctum praescribitur.

Ad vesperas, cum vesicans emplastrum adipicare chirurgus contenderet, ad locum dolentem, tumor in eodem sensibilissimus comparuit et fluctuans, quo illico inciso ichor non modica quantitate effluxit. Subleyata fuit inde quidquam respiratio.

Die 28^a. Nox flebilis praecessit. Frigus sumnum omne corpus, praecipue vero locum thoracis jam diu dolentem, corripuit. Difficilior sputorum rejectio est. Sub tussi dolor nullus ad scapulam se prodit, oedema vero manus dextrae auctum, facies ipsa tumida, aeger inquietus est.

Eodem sic tenore incessit morbus tabem manifestam adnuncians. Rigor bis in die comparuit; frigus maxime circa vulnus urgебat;

bat; sequebatur ad noctem sudor copiosus, post cibum genae rubebant.

Die 32^a. Ichorem manifeste ex pulmone venire, bullae aereae illi commistae denotabant. Tandem viribus quotidie detritis, vulneris labia, vicinaeque partes livescere cœperunt. Accedunt *die 34^a*. deliria, extrema debilitas; ichor e vulnere, sanguine commistus, prodibat. Sequente die, mors finem posuit miseriis.

Sectio cadaveris.

Maculae ex rubro nigrescentes cadaveris superficiem confertissimae occupant. Ulceris labia partesque proxime adjacentes, de gangraena testantur. Dorsales musculi plerique de hac ipsa participant. Ipse musculus infrascapularis in tabum conversus. Via, qua ichor ex pulmone effluebat, erat inter secundam et tertiam costam, pone dorsum; ac eo loco musculi intercostales tam externi, quam interni a gangraena erant correpti. Aperto vero thorace, pulmones utrimque cum pleura cohaerebant, dexter longe magis sinistro. In utroque cavo pectoris aquae copiosae stagnabant, subrubro colore tinctae. Pulmo dexter inflammatus summopere, pars

vero ejus superior, arctissime cum pleura revincta, et quo loco ulcus inter costas haerebat, *sphacelosa* fuit, ac teturum foetorem spargebat, sinum offerens, ex quo ichor in vita propullulaverat. In cavo abdominis, aquae non multum repertum fuit. Lien mole auctus, hinc inde durus, hepar solito majus non vero morbosum repertum fuit *).

Foetor quasi gangraenosus pulmonis inflammati.

Syrus Campari, triginta annorum rusticus, floridus, robustus, nullis unquam morbis vexatus, anno elapso ab equo dejicitur. A lapsu, dolor ad epigastricam regionem, respiratio difficilis, et susurrus ad aurem dextram successerunt; nulla tamen aut contusionis vestigia externa, aut febris compa- ruerunt; hinc nulla adhibita medela, sponte sensim ab istis, dyspnoea quadam et auris susurru exceptis, convaluit.

Tertia die mensis Decembris 1792, ad meridiem, vir hic a frigore per horam protracto, subsequentे calore, nullo tamen su-

*) Morbi historiam adnotavit *Dominicus Farina*, Med. Doctor.

dore, derepente corripitur. Dolor pristinus, quem per multos jam menses non amplius persenserat, sub tussi ac profunda inspiratione nunc recurrit, vox rauca superaccedit. *Die mensis 4^a*, symptomata singula mitiora videntur; ad meridiem vero frigus cum illorum omnium augmentatione aegrum adoritur. *Die 5^a*, mane, symptomata iterum remittunt. Ad meridiem, frigus denuo supervenit, quod calor ac pristina symptomata, violentia majore comitantur. Sic eodem ritu singula incedunt *8^a* mensis et *6^a* morbi, dum circa vesperas ad clinicum Institutum *Ticinense* accederet. Facies tunc subflavo colore notata est, quem vultus colorem tribus abhinc annis, sub oryzae cultura laboriosa, humidoque sub tecto degens, aeger contraxerat. Dolor capitis sat fortis accusatur; auris dextrae susurrus auctus est, ac si magnae avium cohortes, ut aeger se exprimit, cantum in aure exsererent. Os amarum, lingua humida, muco albo quidquam obducta, sitis magna, dolor et ardor faucium, cum raucedine sat magna; difficultas deglutiendi respirandique, tussis aspera, sub qua dolor ad scrobiculum cordis augeatur, sputa pauca, viscida, se produnt. Nec

ructus, nec nausea nec vomitus obveniunt; abdomen molle, alvus aperta, calor cutis ardens et siccitas, pulsus frequentes, pleni ac duri comparent. Nullam morbi causam aeger, nisi frigus admissum, accusat. Venaesectio ad uncias novem instituitur; pro potu decoctum hordei cum nitro et oxymelle praescribitur.

Die 9^a. Febris eadem, pulsus pleni, duri, vocis raucitas continuant, alvus bis deposita fuit. Vena iterum ad novem uncias secatur. Emulsio amygdalina cum nitro et mucilagine gummi arabici praescribitur. Serum lactis pro potu est. Linctus demulcens conceditur.

Vespere alvus bis mota fuit. Ardor faucium continuat, similisque sensus tracheam occupat. Pulsus minus frequentes minusque duri ac pleni sunt. Vapores ex aqua et aceto hauriri curavimus.

Die 10^a. Nox fuit inquieta; alvum aeger ter depositus. Ardor, dolor faucium, tracheae, tussis, continuant. Dolor ad caput et scrobiculum cordis imminutus est. Pulsus frequentes ac duri sunt. Hirudines decem circa laryngem ponuntur.

Vespere, bis alvum depositus; de ceph-

laea auriumque susurru, nec minus de laryngis ardore, aeger maxime conqueritur. Venaesectio repetitur; vapores continuantur et linctus.

Die 11^a. Parum quievit hac nocte, bis alvum depositus aeger. Os non amarum, lingua pura est. Aurium **susurrus** minor, tussis aucta, sicca, sputa aquosa, dolor, ardor, siccitas per omnem tracheae decursum; respiratio difficultis, anxia; deglutitio laboriosa; pulsus frequentes, vibrantes, duri sunt et pleni. Sanguis hucusque emissus, corio semper obductus fuit. Alter nunc ad libram emittitur cruor. Vesicans laryngi adponitur. Cum eadem ad vesperas urgerent symptomata; sanguinis adhuc unciae quatuordecim eductae fuerunt.

Die 12^a. Nox inquieta, alvus bis mota, urinae fere naturales, facies collapsa, hippocratica, dolor maximus ad aures. lingua sicca. Dolorem ardoremque tracheae non amplius aeger accusat, sed modo magnam per omnem ejus decursum siccitatem esse conqueritur; sputa vix ulla, respiratio anhelosa, difficultis, tussis sicca, sub qua aeger dolorem punctorium ad hypochondrium sinistrum, inter ultimas duas costas

veras indicat. Pulsus vibrantes, pleni duri-
que. Venaesectio ad libram, — oleum oli-
varum ad uncias sex cum mucilagine arabi-
ca et syrupo althaeae, ad duas uncias omni
bihorio sumendum, — fomentationes emol-
lientes ad locum dolentem, praescribuntur.

Vespere eadem symptomata continuant.
Alvum quater depositum, respiratio anhelosa,
difficilis. Dum bibit aeger, tussis sicca, et
dolor ad hypochondrium sinistrum excitan-
tur; aliqua deliria obveniunt. Medicinae ul-
timae portionem evomuit. Unguentum mer-
curiale laryngi et tracheae illinitur.

Die 13^a. Hac nocte fere semper soporo-
sus fuit aeger; exergefactus delirat. Labia
livida, facies collapsa, magna debilitatis
sensatio, surditas aliqua, respiratio inaequa-
lis, anhelosa, adnotantur, tussis pauca,
sputa *submembranacea*, alvus bis deposita, pul-
sus adhuc vibrantes, pleni ac duri, ad no-
vam sanguinis missionem sollicitant.

Ad vesperas singula in pejus ruunt; so-
por, tussis continuant, sputa nulla, pulsus
adhuc duri, sed inordinati sunt. Vesicants
thoraci imponitur. Hora noctis circiter octa-
va cum dimidia, aeger suffocatus periit.

Sectio cadaveris.

Post diem unam et dimidiam a morte, sub coelo frigido et sicco, cadaver hoc dissecum, nec minimum putredinis externae signum manifestavit: musculi thoracis erant firmiores, sicci; aperto thorace, foetor multus ex eodem prodiit. Pulmones anterius flaccidi, hinc inde exterius rubri. In sinistro pectoris cavo, ad quod dolorem punctorum aeger ad ima persenserat, modo inferior lobus pulmonalis mole ac duritie quidquam auctus, sed inter loborum interstitia aquae rubellae plures unciae haerebant, pseudomembranis inclusae. Pulmo dissecus ubique insignem, toleratu difficilem, et cadaverosum prorsus foetorem spargebat, sanguies ex eodem infensissimi odoris, et corrupta effluebat. In dextro thoracis cavo, in quo pulmo non inflammatus haerebat, serum sanguinolentum, ad uncias quinque circiter, stagnabat. Pulmo hic etiam dissecus, etsi non turgeret, foetebat. Bronchiis, trachea, ac ipso demum larynge apertis, et muco abinde abstergo, tenaci, rubro subflavio, superficie sua interna, nulla ruboris ac inflammationis vestigia illa prodebant. Ad fauces quoque nec rubor, nec tumor com-

paruit. Ad aurem vero dextram, internam, vera inflammatio superficialis adnotata fuit, nec a muci abstersione rubor hic disparuit. In ipso etiam pericardio aquae rubellae ac sanguine tinctae, tres circiter unciae haerebant. Nec ipsum ad cerebrum, nec ad viscera abdominis, morbo si quid detectum fuit*).

In *Epitomes* L. II. §. 193. p. 150. de peri-pneumoniae diverso exitu loquentes, diximus: „Exanthemata pustulaeque urentes ad „superficiem corporis depositae, maxime vero erysipelas cum constantia ad cutem comparens, peripneumonias, imprimis malignas, interdum dissiparunt.“ Praeter aliorum vero, quae hanc assertionem confirment, observationes, propriam habemus, quam hic, breviter contractam exponemus.

Peripneumonia per exanthema pustulosum judicata.

Mense decembris 1792, famina ad Institutum clinicum *Ticinense* suscepta, punctorio lateris sinistri thoracis dolore affecta, difficulter admodum respiravit, de gravi pectoris oppressione conquesta. Febris aderat

*) Historiam morbi exaravit *Franciscus Nocetti*, celebris nunc Chemiae in Academia *Ticinensi* Professor.

magna, pulsus durus ac plenus, decubitus in latus adfectum denegatus, tussis aspera. Instituta venaesectione, pustulae urentes, *Zosteri* non absimiles, insignem ad numerum, ad brachium dextrum, circa cubitum, comparuerunt. Ardorem hae pustulae insignem excitabant, ac indies dolor, cutis tensio et phlogosis crescebant, tumebat omne fere brachium; sed morbus principalis evanuerat, pulsus, ex plenis ac duris, reddebantur molles, fere debiles, hinc inde intermittentes, vix febriles. Post octo circiter dies, dolor, a superimpositis emollientibus non imminutus, ab aqua vegeto-minerali *Goulardi* et ab unguento saturni dispersus fuit, positotamen simul inter scapulas vesicante emplastro, ac antimonialibus remediis interne adhibitis.

*Peripneumoniae copioso urinarum fluxu
judicatae.*

Annis 1791 et 1792, cum plurimae peripneumoniae, eaequae gravissimae, *Ticini* regnarent, conspicuum aegrorum, hoc morbo adfectorum, numerum conspeximus, qui, sub urinae, licet pallidae aut clarae, atque

omni sedimento destitutae, copiosissima excretione felicissime judicati fuerunt. Ad libras scilicet decem, duodecim et ultra, per multos satis dies mingebantur tales urinae nec recordamur aegri ullius, qui sub tam insolito phœnomeno hoc a morbo perierit. Nec tamen sitis his **in aegrīs**, quam in aliis peripneumoniis, major, nec alterius naturae vel potulenta, vel medicamina, quae aegrīs obtuleramus, fuerunt. Modo unum, ex multis, exemplum huc faciens adducimus, in hoc etiam, etsi non inauditum, memorabile tamen, quod aeger, de quo agimus, *undecima* jam *peripneumonia* correptus, hanc etiam felici **sub omīne superaverit.**

Peripneumonia undecies repetita.

Josephus Massara, 33 annos natus, vir robustus ac bene pastus, licet temperate satis vixisset, plurimis tamen morbis subjectus fuit, quos inter aliquae febres periodicae numerandae veniunt, a quibus insignis, et hucusque persistens, lienis intumescentia natales traxit. Sed morbus huic viro maxime familiaris, peripneumonia fuit, ita ut decies jam et ultro fatali hoc malo conflicta-

retur, ex quo bis in clinico Instituto *Tici-nensi*, sub methodo debilitante, seu, ut vo-cant, antiphlogistica, felicissime convaluit. Dolor lateris punc torius, sub diversis his pneumoniis, gradatim varias thoracis partes peragrare, nec unum sibi ac eundem sem-per locum, quod in aliis solenne est, eligere soluerat, ita ut nullus fere in theca pecto-ris locus esset, ad quem morbus idem non quondam resedisset.

Die 15^a. mensis Novembris 1792, hic vir, dum iter parvum absolveret, a diarrhœa in-vasus fuit, atque eadem ipsa die, domum redux, sub vespere, a febrili frigore, sat ta-men levi, invaditur, iterum atque iterum mox mediocriter calet, ac multam bilem, repetitis vicibus, per vomitum rejicit; tan-dem a dolore lateris sinistri thoracis, cum tussi ac dyspnœa prehenditur. *Die sequen-te*, longa jam experientia methodum curan-di edoctus, venam sibi aperiri voluit, et co-piosum ex ea sanguinem eduxit, unde leva-men quidem non paucum persenserat; sed copiosum quoque cruorem per sputa rejice-re coepit. *Die 16^a* mane, ab audacis manu chirurgi pulvis aegro emeticus porrigitur; nec tamen magis abhinc, quam alias in

decurso morbi vel sponte solebat, vomuit. Hac eadem vero die aeger, ad vesperas, idem ad Institutum clinicum delatus, admodum difficulter celeriterque respirabat. Aderat quoque punc torius sinistri thoracis, cum ponderis sensu conjunctus dolor; tussis, sat quidem frequens, sed non vehemens erat; decubitus in latus affectum facilior, in sanum difficilis, os amarum, lingua subalba, sat tamen pura, facies rubra, oculi splendentes; venter, si lienis regionem excipias, sat mollis, diarrhoea, cutis calor moderatus, pulsus non adeo frequentes, sed admodum pleni ac vibrantes. Mox cruoris unciae sedecim e vena emittuntur, decoctum hordei cum nitro et oxymelle pro potu propinatur, fomentationes emollientes loco affecto imponuntur.

Die 17^a. Alvus ter mota, respiratio quidquam facilior, dolor lateris minor, novus ad posteriora thoracis dolor, leve hora quinta matutina frigus, sputa quidquam sanguine tincta, crux emissus heri, denso corio obiectus, calor et sitis mitiores, pulsus minus frequentes et duri. Vena interim, ob reliquam, nec imminutam, dyspnoeam, sanguinis libra una depletur.

Vespere, febris aucta, sed respiratio a detracto sanguine, longe facilior, alvus quater mota, pulsus frequentiores et duri. Sanguis ad libram mittitur.

Die 18^a, mane. Noctu, copiosus sub somno sudor; sed a denudato tunc corpore insignis refrigeratio, ac febrilis quasi frigoris sat longus sensus. Exinde mox dolor ad posteriora disparuit, et ad latus denuo increvit. Sputa sanguine striata sunt. Mittitur sanguis ad libram. Ad vesperas febris aucta, pulsus pleni ac duri. Repetita fuit ad libram unam venaesectio. Clyster injicitur.

Die 19^a, mane. Alvus ter mota, tussis frequens, sputa cruda, parum tincta, respiratio difficilis, pulsus pleni ac duri. Cruor ad libram deducitur.

Vespere, alvus semel mota, febris exacerbatio exigua, pulsus minus pleni, sed duri, facilior respiratio, dolor minor. Enema injicitur.

Cum ad noctem difficultas spirandi augeretur, novem unciae sanguinis detractae fuerunt.

Die 20^a. Respiratio adhuc difficilis, dolor sub profunda inspiratione auctus, pulsus

pleni ac duri; debilitas et sese erigendi impotentia. Sanguis tamen ad libram extrahitur.

Vespere, febris aucta, pulsus duri, sat pleni, respiratio difficultis, ventris hinc inde tormenta levia et fatus copiosi licet alvus bis fuerit excreta. Venaesectio ad novem uncias instituitur.

Die 21^a. Respiratio facilior, pulsus minus pleni ac duri, dolor lateris minor. Alvus semel soluta. Haustus salinus praescribitur.

Vespere melior aegri status est: respiratio facilius absolvitur, pulsus sat molles sunt. Clyster infunditur.

Die 22^a. Dormivit aeger, sudavit per omne corpus; dolor lateris continuat, ad posteriore quidquam extensus; respiratio sat facilis, pulsus vix duri, urina cum sedimento, excreatus facilior. Granum tartari emeticci hau-stui salino superadditur.

Vespere, febris quidquam aucta, pulsus pleniores, subduri, dolor lateris idem, alvus ter mota. Hirudines octo ponuntur ad latus dolens, clyster injicitur.

Die 23^a. Tussis frequentissima, vehe-

mens fuit, vox rauca, aliqua pulsuum vibratio, minor lateris dolor.

Vespere febris exasperata, pulsus pleni ac vibrantes, dolor lateris idem, alvus semel mota. Venaesectio ad uncias octo.

Die 24^a melius aeger se habet, pulsus minus pleni sunt. Aliquis adhuc dolor lateris est, respiratio facilior, alvus non mota, urina cum sedimento. Enema porrigitur.

Vespere, exacerbatio notabilis, raucedo, pulsus plenior, dolor lateris perstat.

Die 25^a. et 26^a. Eadem rerum constitutio. Linctus, praeter haustum salinum prescribitur.

Die 27^a. Dolor lateris idem. Opressio ac dolor ad ventriculum, pulsuum aliqua vibratio. Mannaе unciae tres, in sero lactis solutae, omni hora ad vasculum propinantur. Urinae copiosissimae, sed naturalibus similes, redduntur.

Vespere, insigne malorum levamen habetur, febris nulla, alvus bis copiose soluta, dolor lateris idem. Linimentum huic volatile cum camphora inungitur.

Die 28^a. Copiosae admodum, sed clarae, pellucidae, fere pallidae, urinae fluunt.

Die 29^a. Ultra duodecim libras urinae ejus-

dem minxit aeger, ab magnum inde levamen persensit, ciborum desiderium, sub febre nulla, subintrat, vires redire incipiunt.

Die 30^a. magna iterum urinae similis quantitas effluxit.

Die 31^a. Eadem urinarum, nisi major, quantitas, per plures adhuc dies excreta fuit; majorem aeger victum desiderat et obtinet. Ob dolorem lateris non penitus fugatum, vesicans huic emplastrum imponitur, unde dolor omnis disparuit, aegerque sensim perfecte convaluit *).

Pleurae inflammatio et gangraena.

Joannes Antonius Abelli, bubulus, annorum 30, vino deditus, bonaque valetudine instructus, anno praterlapso per coitum impurum medorrhoeam contagiosam cum bubone contraxerat, quo bubone tandem suppurrato, sanitas aegro restituta fuit. Prima nocte anni 1789, cum sanus lectum petiisset, post somnum quatuor horarum, per tussim expergefactus, dolorem validum ac dilacerantem inter scapulas persensit, cum horrore totius.

*) *D. Andreas Sniadecki*, nunc celebris academiae Vilnensis Professor, historiam morbi conscripsit.

totius corporis, cui calor successit, nullo tamen sudore pedissequo. Hic dolor paulatim a scapulis ad lumbos usque propagatus, febrique continuae junctus fuit. Die 2^a mensis, ad vesperas, clinicum *Ticinense* aeger petiit, ac mox instituto morbi examine, sequentia nobis obtulit: dolorem ad utriusque orbitae partem superiorem, respiratiōem anxiam, perdifficilem tussim asperam, dolore plenam, cum sputis sanguine tinctis; ruborem quasi scarlatinum ad jugulum partemque superiorem pectoris; os amarum, linguam muco albo obductam, nauseam, vomititionem, vomitum ipsum materiae amarae, sitimque magnam, ponderis ac distensionis molestae sensum in epigastrica regione, hypochondria tensa, ad attactum sensibilissima, abdomen quidquam turgidum, alvum constipatam, pulsus exilissimos, vix percipiendos celeriores tamen et intermitentes, jactationes, stuporem quemdam, sensibilitatem imminutam, et frigus extremitatum inferiorum. Interrogatus aeger de causis: quatuor abhinc diebus se, ebrium, in aere gelido ac patulo diu jacuisse, nec non duos ante dies, cum grave pondus repetito nixu elevasset, se lacerationis quasi sen-

sum circa dorsum, brevi tamen tempore durantem. habuisse, respondet.

Aceti ammoniacalis unciae quatuor, aquae florum sambuci unciae sex, ac tartari emetici grana duo, de quibus omni bihorio unciam sumat aeger, — linimentum volatile cum camphora, dorso ac lumbis inungendum, — fomenta calida, et enema praescripta fuerunt.

Vix assumtam medicinam aeger per vomitum rejicit. Injectum clysmo mox, inscio eodem, effluxit. Tandem tertia post medium noctem hora, suffocationis metu percussus miser, corpus a sedendum in lectulo erexit, ac brachia, petendi auxilii gratia, attollens, supinus iterum concidit, spiritumque efflavit. Ex ore defuncti spumante, fluxus ex nare dextra sanguineus, ex sinistra vero serosus insecutus est, commoto quidquam pectori ad libram et ultra auctus.

Sectio cadaveris.

Dorsi superficies, extremitates inferiores aurisque sinistra livorem manifestant. Aperto thorace sinistro, pauca sanguinis fluidi portio detegitur. Pulmo sinister, ad posteriora lividus, inferius cum diaphragmate, ac ad

latus cum pleura concretus, et quasi san-
 guine adsperso notatus, lobi inferio is sub-
 stantia, quidquam crassior, turgida, ponde-
 rosior, et aliquomodo, posterius praeципue,
 inflammata est. Pulmo dexter, ad superiora,
 cum pleura concretus. Hoc eodem in cavo,
 sanguinis fluidi unciae quatuor, incirca, hae-
 rent. Aperto pericardio parca fluidi quanti-
 tas, solita non superior, reperitur. Cor flac-
 cidum est. In ejus cavo dextro, sanguis
 paucus, grumosus, in sinistro, polyposa mol-
 lisque substantia degitur. Atrium cordis si-
 nistrum, ad superficiem internam, lividum,
 valvula septo medio proxima, inflammata,
 dissecti cordis interna superficies magis ru-
 bra, valvulae ipsae semilunares rubescentes
 sunt. Hoc de rubore pulmonalis arteria mi-
 nime participat. Pleura dextri lateris, san-
 guine licet sollicite abstero, inflammata, li-
 vida, inter quartam vero et septimam costas
 veras, nigra conspicitur. Dissecta pleura li-
 vidae magis ac moliores sunt fibrae muscu-
 lorum intercostalium. Pleura quoque sini-
 stri cavi thoracici, affecto pulmoni respon-
 dens, inflammata pariter ac livida observa-
 tur. Hac detracta, comparet ecchymosis
 cum infarctu, fibris intercostalibus, a tertia

costa vera, ad ultimas usque, intermedio. Tracheae superficies interna valdopere inflammata, et sanguine quidquam tincta. Haec tracheae inflammatio, per bronchia extensa, in minoribus ex istis quasi major est visa. Nullum in thoracis cavitatibus dirupti vasis vestigium reperitur. Dissectis musculis dorsalibus, ac iisdem a columnna vertebrali separatis, circa septimam apophysin vertebra rum spinosam, livor, utraque ex parte, occurrit conspicuus simulque profundus. In genere, versus cervicem, vasa sanguinea magis sunt turgida. In abdominis cavo, nihil, quod morbosum esset, detegitur. Dissecta deinde per longum dura meninge, medullam spinalem cingente, humorem haec, ultra quam solet, aquosum, ac a sanguine leviter tinctum, continebat. Arteria spinalis posterior turgida et quasi injecta comparabat. Ablata superiore calvariae portione, sanguinis, quidquam congrumati portio intraduram matrem et ossa cranii, praesertim in parte posteriore, reperta fuit. Dissectis cerebri meningibus, vasa corticalis substantiae venosa dextri hemisphaerii, turgida fuerunt, alia, minora, quasi injecta. Eadem et sinistrum ad hemisphaerium. Cerebrum ipsumi

ubique sanguine infarctum erat, anatomici manus tingente. Vasa venosa plexus choroidi ventriculi dextri, quasi nigra, ita et in sinistro, reperta fuerunt. Cerebellum quoque a sanguine summopere fuit tinctum *).

Peripneumonia senum.

modo satis firma sit febris, quae peri-pneumonias, non parum certe diversa, comitatur, diagnosis; ubi indolem illa energicam seu *hypersthenicam*, agnoscit; nec aetas, nec sexus, nec uteri aut gravi, aut puerperalis conditio, quo minus sanguis, pro varia morbi dominantis indole, ac pro aegri natura diversa, manu nunc moderata, nunc fere profusa, prout in *Epitomes* L. II. §. 198. cum aliis docuimus, impediunt. Quod autem, eundem ad locum p. 161. in hujus pracepti confirmationem, *senis* fere *octogenarii* exemplum leviter tetigimus, hoc, nostris ex diariis depromptum, hic fideliter exponimus; et alteram mox viri *septuagenarii* morbum huic similem subjungimus.

*) Adstitit aegro morbumque brevem descripsit, *Franciscus Maria Fortina*, Med. Candidatus.

Peripneumonia viri octogenarii.

Petrus Antonius Galbarini, rusticus alias, nunc urbis *Papiensis* incola, aetatis annum fere octogesimum attingens, constitutionem a natura robustam obtinuit. Scindendis trabibus occupatus, solo indusio obiectus, saeviente adeo hieme, ad profusum usque sudorem laborare assuetus. quinques pleuritidem, modo in dextero, modo in sinistro thoracis latere, contraxit, morbum tamen semper devicit; et si levior erat, absque medicis auxiliis, cum solo decocto panis vinoso, et excitato posthinc sudore, profligavit. Cum tamen de novo sudoribus diffueret, die 25^a mensit februarii 1787, refrigerio expositus, a dolore versus costas spurias dextri thoracis, cum frigore maximo, per diem integrum extenso, inde vero a tussi, et dyspnœa, correptus fuit. Ad vinosum iterum panis decoctum, sed infausto sub omni confugit, ac morbum potius adauxit. Tertia igitur hujus die, chirurgi consilio, venam solvit, et quarta etiam die sanguinem sibi detrahi curat. Cum tamen morbus aequo tenore proserperet, septima hujus die, 3^a nempe Martii, nosocomium *Ticinense* adivit.

Hic binis vicibus venaesectio repetitur. *Die 4^a* circa vesperas aeger ad Institutum clinicum deducitur. Dolor punctorius dextro thoracis in latere, sub costis ultimis urgebat, a tussi ac profunda inspiratione auctus; respiratio difficilis; sputa, striis sanguinis remista, aegre prodibant, pulsus frequentes, magni, pleni ac duri. lingua arida, sitis magna, oris amaror aderant. Haerebant adstantes, ne morbus, tam proiecta aetate, debilitantem sibi methodum exigeret; decem interim cruoris unciae detractae fuerunt. Decoctum hordei cum nitro et oxymelle pro potu porrectum fuit.

Die 5^a. Sanguis heri ad vesperas emissus, non, quod a primis venaesectionibus contigerat, a corio obtectus fuit. Noctem aeger insomnem transegerat. alvum quinquies liquidam excrevit. Coetera symptomata, ut heri, continuant. Cruoris iterum detrahuntur decem unciae, mox a corio obtegendae. Vespere, dolor auctus, bis alvus mota fuit; a potu ingestu anxietas, ventris tensio, subnascitur His, et pulsuum conditione ita jubentibus, libra sanguinis extrahitur, fotus ex lacte ac sapone, dolenti loco imponitur; et enema emolliens injicitur.

Die 6^a. In densam et concavam insulam sanguis heri emissus contractus, dolor acerbior, pulsus plenus ac durus est. Venae-sectio ad uncias decem repetitur; vesicans emplastrum costis dolentibus imponitur. Ad vesperas, eadem premunt symptomata, respiratio difficillima est; pulsus, pleni ac duri, subinde intermittunt. Sex unciae sanguinis jubentur detrahi.

Die 7^a. Nox fuit insomnis. Dolor, nisi sub tussi, ad iatus conticuit; respiratio vero difficilis est, oppressionis et constrictio-
nis in abdomine sensus accusatur; alvus se-
mel, sed parce, fuit deposita, tussis fre-
quens, sputa parca et flava, sicca, urina ru-
bra, sapor oris amarus, pulsus pleni, fortes.
Vena aperitur denuo ad novem uncias. Cre-
mor tartari solubilis cum pulpa tamarindorum in aqua solutus propinatus; enema in-
jicitur

Ad vesperas, eadem occurrunt; sed dolor pungens locum mutavit, et ad cordis scrobi-
culum migravit. Sub tussi, cultri quasi ictum, ad umbilicum usque adacti, aeger accusat. Alvum bis, copiosam, depositum,
ac ventris tensio minor est. Fauces tam ari-
dae sunt, ut difficulter potum transmittant.

Emulsio arabica, fomenta, inunctio ventris cum linimento volatili camphorato, imprudentur.

Die 8^a. Dolor in latus pristinum reversus, pulsus adhuc plenus, durus, respiratio difficultis est; deglutitio facilior. Venaesectio ad uncias novem instituitur; serum lactis pro potu conceditur.

Vespere, pulsus adhuc pleni, sed nec duri nec vibrantes sunt; respiratio, tussis, faciliiores sunt; sputa pauca, minus flava. Vomitus spontaneus insecutus est. Dolor cessavit. Alvum aeger copiosam semel et liquidam depositum. Sudor nullus.

Die 9^a. Dolor ad costas rediit, tussis aucta est; sputa ex flavo sanguinea, magis densa, respiratio ardua, pulsus molles. Solutio mannae, puluae cassiae, ac salis medii gradatim porrigitur; vesicans emplastrum dolenti lateri imponitur.

Febris ac tussis ad vesperas imminutae, sputa magis cocta sunt.

Die 10^a. Omnia in melius conversa sunt; quater alvus soluta fuit, urina turbida sedimentum offert lateritium, febris minor, ac minor spirandi difficultas est. Haustus salinus cum nitro, et cum grano tartari emetici

praescribitur. Nec ad vesperas exacerbatio contingit.

Die 11^a. Nox inquieta, tussis continua, sicca fuit, dolor in latere dextro se manifestat, absque sedimento sunt urinae; pulsus pleni, fortes, minus tamen frequentes sunt, respiratio non admodum difficilis. Sanguis interim ad decem uncias mitti jubetur. Cum vero singula ad vesperas symptomata eodem pede incederent, sanguinis sex adhuc de- trahuntur unciae.

Die 12^a. Eadem rerum est positio; pul- sus tamen contracti, sputa pauca, tenacia sunt. Kermetis mineralis granum dimidium cum saccharo, quovis bihorio, cum decocto emolliente sumendum praescribitur. Ene- ma injicitur, fomenta apponuntur. Vespere, dolor imminutus, sputa tenaciora, sed faci- liora sunt; cutis madescit.

Die 13^a. Nox quieta fuit, sputa pauca, sed facilia, cocta, sudor universalis prorum- pit, dolor cessat, respiratio liberius absolvi- tur; ciborum quoddam desiderium se prodit.

Die 14^a. Res optime incedunt, urina se- dimentosa, alvus laxata est. Sub lachrymis vinum petit senex, et cum pulsus moliores,

febris imminuta sint, quatuor ejusdem unciae conceduntur..

Cum die 15^a aequali se modo habuisset aeger; die 16^a nox insomnis successit; cœtera interim symptomata spem sustinent. Sic iterum 18^a nox, ob tussim continuam et siccam, inquieta fuit. Decoctum hordei cum vino antimoniato, Kermeti substituitur.

Die 19^a. Sudor multus, universalis, tussis minor, sputa liberius secedunt. Febris nulla est. *Die 22^a,* ob tussim siccam, ad vesperas haustus narcoticus porrigitur. Ab hac die tandem et tussis sensim imminuitur, atque *die 27^a*, ad suos redeundi veniam petit, eaque obtenta, solo baculo suffultus, viri instar quinquagenarii domum petit. Post mensem, nil nisi vini potum sibi domi deesse, sub idens conqueritur, viribusque pro sua aetate sat firmis instructus fuit *).

Peripneumonia viri septuagenarii.

Antonius Locati, agricola septuagenarius, robusto corpore donatus, refrigerationibus saepe expositus, jam ter, ante biennium,

*) Curam aegri gessit, ac historiam exaravit Med. Candidatus *de Zucchi*.

acute decubuit, semperque venaesectionum ope sanitatem recuperavit. Ante decem dies, sub rudiore labore exaestuans, frigido se aeri exposuit. ac ea ipsa nocte, a dolore faucium, tussi molesta, et screatu hinc inde sanguineo correptus fuit. A febre necdum prehensus, nullum artis auxilium adhibuit; donec *die 2^a* Aprilis 1793, ad vesperas, rigorem circa dorsum persentiret. Huic successit calor, quo, cum illo alternante, laboribus consuetis aeger adhuc interfuit. Crescit vero ad noctem febris, quam frigus insigne praecedit. Post istud, calor magnus, tussis, sudor, ac dolor ad partem thoracis sinistram sub mamma accedunt. Sibi ipsi tamen adhuc morbus committitur. donec *die 5^a* Aprilis *Ticinense* nosocomium aeger peteret. Hic vena tunditur illico. Ad clinicum vero Institutum, *die 6^a* delatus, sequentia nobis exhibet symptomata:

Calorem magnum, faciem rubram, sudore madidam, dolor m faucium sensibilem absque phlogosi ad illas conspicua, linguam aridam, respirationem difficultem cum dolore ad pectus indicato, sub tussi ac profunda inspiratione adauctum. Tussis interim satis moderata, sat facilis etiam utroque in latere

decubitus est. Alitus a quatuor jam diebus obstructa; abdomen interim molle, pulsus frequentes, pleni, ac duri sunt.

Cruoris unciae decem mittuntur, decoctum althaeae cum nitro, fomentationes emollientes ad locum dolentem, ac enema praescribuntur.

Die 7^a. Nox fere insomnis transacta, dolor lateris adhuc viget, tussis aucta, respiratio difficilis, sputa pauca, alvus non mota, pulsus pleni ac duri sunt. Libra sanguinis educitur, linctus, obfauces adhuc arentes, et clyster praescribuntur. Ad vesperas febris exacerbatur, respiratio magis oppressa, facies rubra, eadem ac mane pulsuum conditio; dolor nullus ad costas. Nova venae-sectio ad libram instituitur.

Die 8^a. Aliquantisper quievit aeger; ast dolor novus, etsi levis, sub mamma surrexit; respiratio difficilis, tussis aspera est. Cruoris unciae decem funduntur. Ad vesperas nova exacerbatio fit pulsus adhuc pleni, minus tamen frequentes sunt, alvus adhuc clausa est. Sanguis de novo mittitur, et clyster injicitur.

Die 9^a. Nocte melius quievit aeger, respiratio nunc longe facilior, tussis levior,

nullus vero dolor est. Alvus necdum respon-
dit. Potio laxans ex tamarindis et cremore
tartari cum sero lactis propinatur, et enema
injicitur. Vespere, alvus quinquies mota
fuit. Respiratio facilior, et pulsus naturali
parum frequentior est. Emulsio arabica
praescribitur.

Die 10^a. Ob alvum frequentius deponen-
dam, parum aeger quievit, in cœteris tamen
bene se habuit. Emulsio arabica cum haustu
narcotico praescribitur.

Ab hoc tempore salus integra restituta,
et *die 15^a* senex ad suos dimissus fuit *).

Bronchitis lethalis.

Antonia Maria Gatti, Papiensis, annorum
25, unius prolis mater, cum altera nunc, a
quatuor fere mensibus, grida, semper sa-
na, et optime menstruata *die 12* mensis De-
cembris 1792, media fere nocte, a frigore
intenso per quadrihorium correpta, hoc ab-
soluto, calorem magnum, levem sudorem,
debilitatem, cum doloribus crurum, dígo-
rum, hinc inde divagantibus, percepit. Quin

*) Curam praestitit, ac morbum descriptsit *Josephus Fiocchi*, Med. Doctor.

apyrexia successisset, *die 13^a*, hora quinta pomeridiana, frigus, per duas horas extensus, dein calor et sudor, cum iisdem doloribus succedunt. *Die 14^a* eadem symptomata, eodem sub ordine, comparent *Die 15^a*, his ipsis junguntur: tussis, femoris dextri torpor, movendi impotentia et insensibilitas, per viginti quatuor horas extensa, haec interim cruris paresis tunc sponte disparuit. *Die 16^a*, febre nec quidquam cedente, post meridiem, adactis articulorum doloribus, tussis acerrima successit, sub qua dolor ad fauces, deglutitionem fere supprimens, et ad sternum, tussim liberam intercipiens, insurrexit. Continuant haec symptomata *die 17^a*; qua demum, in clinicum *Tucmense Institutum* suscepta mulier, sequentem nobis statum exposuit:

Dolor capitis gravatus, oculi fulgentes, genae rubentes, aurium susurrus, os amarum, lingua muco albo obiecta; respiratione difficillima primum in conspectum veniebant. Dolor ad fauces, deglutitionem, — alter, ad sternum, tussim impediebat. Haec vero ultima fuit sicca, decubitus in latus dextrum difficilis, dolores ad dorsum, suras, brachia, debilitas magna, sudor uni-

versalis, pulsus frequentes, pleni, sed non tam duri erant.

Porriguntur emulsio arabica, et decoctum hordei cum nitro et oxymelle.

Die 8^a. Somnus nullus, ob tussim continua, accessit. Magna fuit doloris, subista, ad pectus, ad artus, exacerbatio. Pulsus hodie pleni et vibrantes sunt. Alvum aegra bis depositum. Fit venaesectio ad decem sanguinis uncias; atque haec, easdem ob rationes, ad vesperas repetitur.

Die 19^a mane. Somnus nullus, febris ad mediam noctem aucta fuit. Tussis continua, dolor ad pectus sine remissione, urgebant. Ad uteri regionem dolor comparet. Debilitas manifestior fit; pulsus non pleni, duri tamen et frequentes, facies pallidus, alvus semel deponitur. Decoctum corticis cum quindecim guttis laudani, cum linctu prescribitur. Vespere exacerbatio accedit notabilis; per duas vices foetus motum se cum dolore percepisse, monet gravida, dolor ad uterum huc illuc intercurrens, accusatur. Stillicidium narium oboritur. Respiratio difficillima, sputa nulla, facies iterum rubra, pulsus nunc pleni et duri, nunc collapsi comparent. Haustus salini unciae septem, pul-

veris

veris Doveri ac moschi orientalis ana grana quindecim, ut omni bihorio uncia una propinetur, et linctus, praeterea vini albi sex unciae porriguntur.

Die 20^a. Optime, ac fere absque tussi, quievit aegra; horis int̄e im matutinis, dolor ad sinistrum thoracem, scapulae sese communicans, accessit; bilem aegra vomuit; pulsus haud frequentes sunt; pejor tamen rerum status ex aspectu mulieris comparet. Haustus salinus cum moscho et li- quore anodyno minerali, nec non vini albi portio, porriguntur.

Ad vesperas. frequentia pulsum quid- quam major. Dolor thoracis a superiore parte, ad costas spurias sinistras transfertur; tussis pauca, sed cum dolore aucto. Quin- quies aegra vomuit. Debilitas, aurium su- surrus accusantur. Motus foetus binis vi- cibus perceptus fuit. Fomenta ad locum do- lentem, et clyster ponuntur.

Die 21^a. Nox inquieta fuit. Dolor ver- sus dorsum, sensibilior, transmigrat. Tus- sis pauca est; sed sub illa, prae doloris ve- hementia, jactatur aegra. Respirationis tameu difficultas cessavit. Bis vomitus, se- mel alvus, mota sunt; pulsum frequentia

sanae similis, sed magna debilitas est. Linimentum volatile dolenti loco inungitur, emulsio arabica, et vini pauxillum propinuantur. Ad vesperas, dolor ab applicitis fomentis, valde imminutus, sitis tamen multa, tussis vero pauca est. Respiratio facilis, vox tamen rauca. Nulla in pulsu frequentia, aurium susurrus disparuit; debilitas vero persistit.

Die 22^a. Somnus nullus, continua tussis fuit. Dolores ad costas, ad uterum disparuerant. Sitis summa, lingua sicca; debilitas magna. Alvus excreta. Emulsioni arabicae cum moscho, extractum corticis superadditur.

Vespere, dolores penitus disparuerant tam ad costas, quam ad uterum; ad guttur tamen ardorem aegra accusat, tussis continuat, febris augetur; sitis, debilitas persistunt. Motum foetus mulier persensit.

Die 23^a. Nox placida fuit, tussitat aegra hinc inde; dolores nulli, sed pulsus parvi et molles sunt, lingua sicca; semel vomuit. Decoctum corticis cum emulsione arabica praescribitur.

Vespere, omnia assumta revomuit aegra; dolor ad hypochondrium dextrum fortissi-

mus, cum scapula et brachio correspondens, insurrexit. Lingua sicca. Fomenta cum linimento volatili adplicantur.

Die 24^a, mane. Nox minime insomnis fuit; dolor tamen hodie atrox continuat; pulsus vibrantes ac pleni observantur. Cucurbitulae tres scarificatae, loco dolenti amoventur; emulsio arabica praescribitur. Ad vesperas, dolor idem; pulsus tamen haud frequentior, tussis mitior est. Vescans costis adponitur.

Die 25^a. Somnus paucus fuit, dolor persistit; tussis rara, sed fortis, sputa difficilia; pulsus contracti, duri; debilitas. Haustus salinus, cum pulvere Doveri et moscho, pro medicina est. Vespere, dolor continuat, respiratio anhelosa est, pulsus contractissimi, constanter duri sunt. Emulsio arabica, cum haustu narcoticō et moscho, praescribitur.

Die 26^a. Nox infelix heri successit. Respiratio summe difficilis, erecta sedere cogitur aegra; dolor ad dextrum hypochondrium, attactum adeo recusat; ac dolores cunctam thoracis dextri partem superiorem occupant; tussis acerrima urget; sputa difficilia, viscosa sunt; pulsus duri, contracti. Con-

tinuatur in moscho. Linimento volatili, laudanum liquidum superadditur.

Vespere dolor fortissimus continuat, respiratio eadem, jactatio, tussis, facies rubra, pulsus duri et pleni sunt. Vena tunditur ad uncias sex cruoris.

Die 27^a. Somnus nullus, jactationes corporis continuae, tussis molestissima, sputa multa, viscosa; dolor idem ad hypochondrium. Ad ventrem hinc inde dolores insurgunt vehementissimi. Os uteri exploratum, pollicis diametro hiat. Adplicantur cuniculæ scarificatae octo, et vesicans loco dolenti admovetur. Mannaæ unciae duae in emulsione arabica solutæ, divisis portionibus ingeruntur.

Vespere, dolor idem, respiratio anhelosa, tussis aspera, sputa viscida, vomuit aegra, alvum semel deposit; pulsus duri et pleni. Sanguinis unciae octo detrahuntur. Emulsio arabica praescribitur.

Die 28^a. Nox fuit inquietissima, tussis fortissima, sputa multa; suffocationis sensum sub tussi aegra persensit. Dolor lateris idem; ad scrobiculum cordis novus insurgit. Flavescunt oculi, sitis summa, jactatio continua; pulsus duri, contracti.

Vespere, jactationes multae, dolor atrox, dyspnoea summa. Alvum depositum.

Die 29^a. Dolores ventris ante noctem hesternam fortius urgebant; foetus excluditur mortuus. Abhinc dolores ad ventrem cessant, ad costas imminentes sunt. Respiratio ac tussis quidquam faciliores. De debilitate conqueritur; quidquam vini conceditur.

Vespere, mulier pejus se habet: dolores ad ventrem fortiores redeunt, ad hypochondrium exacerbantur. Respiratio difficillima est; jactatur mulier, tussis dolorque fortiter; alvum ter depositum. Lochia parcissima fluunt. Emulsio arabica, cum haustu narcotico, porrigitur.

Die 30^a mane. Eadem urgent symptoma. Post meridiem, dolores jactationesque quam maxime augeretur, deglutitio supprimitur, tussis, ob constrictiois ad guttur sensum, praepeditur. Tandem soporosa decumbit, nec ullum doloris signum exserit, extrema frigent, ore aperto aerem hiat, pulsus frequentissimi, filiformes sunt. Camphora porrigitur.

Hora septima matutina, dolores iterum violenti ad ventrem urgent et ad hypochond-

drium; huc illuc jactatur misera; nec deglutire nec tussitare valet. Hora quinta matutina sequente exspirat.

Sectio cadaveris.

Aperto thorace dextro, aer cum impetu ex illo exploditur; mox aquae foetentis, ex bruneo luteae quantitas partim effluxit, partim hoc thoracis in cavo detecta fuit, quindecim libris vix minor. Pulmo compressus, parvus, rugosus, flaccidus, hinc inde ruber, alibi pallidus, comparuit. Ad lobum superiorem, tria, pisi magnitudinis, foraminula detegentur, quorum viciniis compressis, humorem illa puriformem ac rubrum plorabant. Pollicis profunditatem haec foramina habebant. Pleura, exceptis punctis rubris, hinc illinc, ad posteriora et inferiora distinguendis, sana videbatur. Aperto thorace sinistro, aquae hic tres librae circiter, magis rubrae, stagnabant. Pulmo quoque sinister collapsus erat, nec ullum inflammationis vestigium exhibuit. Pleura non minus intacta fuit. Bronchia, et aspera arteria, in longum dissecta, colore rubro undique nitabant et coccineo. Quo profundius vero culer descendit: eo major hic rubor in bron-

chiis comparuit. Pulmo interim nec tumidus, nec ponderosus fuit.

Inciso pericardio, ejusdem, indolis aquae, quam ex thorace, ad pondus unciarum septem circiter, eductae fuerunt. Nec ullum, tam ad cordis superficiem, aut substantiam, quam ad pericardium, inflammationis signum compertum fuit.

Secto abdomen, hepar magnum, ad quartam usque costam assurgebat, minime morbosum. Vesicula fellea bile non tenaci, sed aquosa, repleta erat. Omentum retractum, hepaticque superincumbens, copiosa' pinguedo ad mesenterium fuit.

Utero inciso, universa ipsius interna superficies atro et corrupto cruento replebatur. Vasa hujus visceris valde dilatata comparebant. Vesica urinaria contracta et vacua. Intestina sana, si saccum, quem colon sinistrum majorem efformabat, sed vacuum, excipias *).

E p i c r i s i s.

Morbi pectoris acuti, ubique certe discrimine pleni, in gravidis tamen mulieribus

*) Curam aegri gessit et morbum conscripsit Med. Candidatus *Ripamonti*.

in genere longe magis ominosi sunt. Sub primis scilicet impregnationis mensibus, promptior sub illis morbis *abortu* imminet; aliquando quidem, ubi hypersthenicum latuerit in thorace incendium, salutis mulieri; in casu vero contrario, sub jactura sanguinis majore, plerumque et fœtui, et matri lethalis. Dum uterus sub ultimis impregnationis mensibus profundiorem dia phragmatis descensum non parum impedit, et musculi abdominales jam nimis extensi sint, praeter *partus prematuri* pericula, viscera thoracis et a morbo vexata, et arctiore simul spatio coactata, compressa; respirationis officio inepta, hanc citius et in fœtus, et in matris perniciem suspendunt. Utroque vero in casu, consensus uteri, pectoris lacersti symptomata exasperat; haec autem, viscus proliferum, ipsumque fœtum, ad motus perversos sollicitant et rapiunt. Haec gravidarum, a peripneumonia prehensarum, summa discrimina, nec juvenili quidem in aetate, nos, prognostici *hippocratici* jam tunc non ignaros, latebant, cum anno 1706 praegnantem in septimum mensam mulierem *Bitensem* a gravi pulmonum incendio corruptum, pertractandam haberemus.

Atque tamen, in casu pro fama junioris medici tam ambiguo, mulieri robustae ac nullis hucusque morbis vexatae, sanguinem, quasi gravida non esset; sub magnis veterinarum recalcitrationibus, novies detraximus, ac matrem non minus, quam foetum, praescripto tandem termino exclusum, feliciter salvavimus. Haud raro interim medica juventus, *somnambulis* similis, in praecepiti, mediis sub periculis, sibi haud satis perspectis, tuta, nec vertiginosa versatur; ex parte gefacta vero, trabem angustam, qua pede certo incesserat; et audaciam miratur, et terrore perculta horrescit. Saepe tamen alia, quam praeceps, via medentibus non patet; nec tam nobis, quam aliis, ejusdem cum gravidis, pulmone inflammatis, feliciter tentatae exempla desunt. Cur aegra, cuius hic commentamur historiam, meliore hac sorte non gavisa sit; tum gravioris et vagae arthritidis, per sex primos morbi dies, negligens, tum, arguento plus quam probabili, anterior illo pulmonis *dextri* labes occulta, nobis explicant. Etsi nempe hanc mulierem constante antehac sanitate instruictam fuisse, ex propria ejus relatione, percepimus; tria tamen illa *foramina*, in lo-

bum pulmonis dextri superiorem, vel *minime inflammatum*, profunde exorrecta, quasi fistulosa, atque, vicinis sibi partibus compressionis, humorem purulentum ac rubrum fundentia, — aer, foetare impregnatus, thoracis huic cavo coercitus, ac eodem vix inciso, cum impetu explosus, de praegressis hujus lobi pulmonali abscessibus antiquis, ut videtur, tuberculosis, abunde testantur. Quamvis etiam pneumoniae frequentius magno hominem cum frigore adoriri consuecant; vix tamen unquam hic rigor quatuor per dies, quod nostra in muliere contigit, ut in febre periodica, tam intense revertitur; nec morbus, dum ista successerunt, aliam, quam arthritidis acutae ac vagae, minime vero affectionis thoracicae, scenam lusit; donec quinta modo, vesperascente jam, die, post praeviam paralysis nycthemerae in crure dextro, non minus arthriticae, solutionem, tussis, mox acerrima, cum dolore ac incendio ad guttur et ad sternum, accesserit. Tunc vero, et qua die aegra curae nostrae commissa fuit; singula certe morbi gravissimi symptomata, maxime vero pulsuum plenorum atque duriorum ratio, de indole illius energica testata sunt. Cum tamen

sanguine, moderata licet manu, binis modo
vicibus emissis, vires magis considerent,
aegra facies palleret, ac dolores quasi ad
partum accederent: fatemur, nos de pro-
prio forsitan in diagnosi, quoad febris indo-
lem hypersthenicam, vel de tarda nimis san-
guinem mittendi occasione, eo magis cogi-
tasse: quod non rarum esse noverimus, fe-
bres etiam *nervosas*, visceris sensibilis inflam-
mationi conjunctas, sub morbi principio, ple-
nitudinem vasorum, eorumque duritiam
mentiri; atque haec fuit ratio, cur, deposi-
to mox debilitantium auxilio, ad corticem,
— et cum frequens spasmorum apud gravi-
das abortum contribuentium, occasio sit,
exiguam ad opii dosin, confugerimus, ac re-
vera, sub istis, ac demum sub blando sti-
mulo volatili, die morbi *decima*, tussis pauca
fuit, ac respirationis difficultas, pulsuum
frequentia, et aurium susurrus cessarunt.
Nec tamen prognosin idcirco feliciorem, ex
eo, quod nec sudor universalis, nec urinae
sedimentosae, nec sputa cocta hucusque se
proderent, quod dolor minime sileret, sitis
vero continuo urgeret, instituimus. Quam-
vis etiam, quidquam tardius, et dolor late-
ris, et uteri cruciatus evanescerent, nox-

que placida succederet, non tamen quietos nos esse, constans linguae ariditas, cum aegrae habitu externo, sinivit. Morbi dies decima tertia nimis hos timores confirmavit, ac decima denique et quinta die, ad vespertas, pulsus pleni atque duri, orthopnoea, dolor thoracis attactum fugiens, tussis atrocissima, ad novam sanguinis missionem nolentes nos coegerunt. Novam scilicet tunc, et quidem utriusque pulmonis, diram inflammationem subintrasse vix nobis dubium superfuit. Paucorum autem tunc signorum defectu, a vero aberravimus. Haud raro nempe, in aegris aliis, dum sub media pneumoniae, et quidem conspicua remissione, inopinata pectoris oppressio, summa respirationis difficultas, anxietas, ac de lumbendi impossibilitas contingent, sectionum pathologicarum auctoritati suffultis, vel ex brachii unius torpore, vel ex manus unius (rarius ex latissimi dorsi) œdemate, maxime vero ex pulsuum ad unum carpum *intermissione*, ad *hydropem thoracis*, eodem in latere, *acutum* conclusimus, atque in undecim certe pneumoniais sic lethalibus, haec morbosa phœnomena nec semel nobis fucum fecerunt, sic ut nobis, sub primo eorundem occursu, hu-

cusque semper deleterio, *thoracis adfecti paracnhesin*, quae *Senacii venatorem regium fortuito salvaverat*, ut unicum, quod spem sanationis aliquam concederes, subsidium, instituendam proposuerimus. Sed nostra in aegra haec nos signa diagnostica deseruerant, ac nova pulsuum plenitudo, vibratio, ut ad novum potius in pulmone incendium, quam ad hydrothoracem acutum et subitaneum, oculos ferremus, induxerant.

Atqui dum sectio pathologica nobis, praesente in casu, utriusque thoracis hydropem, majorem ac unquam hucusque vidissemus (vidimus autem frequenter in aliis, ad novem, vel adeo ad duodecim libras aquae in uno etiam thoracis cavo collectas) praesenterit; ex altera parte, eadem haec sectio, *tracheam modo et bronchia singula, minime vero pulmonum parenchyma, inflammata fuisse*, spectaculo nobis antehac, post signa pneumoniae tam evidentia, nunquam oblato, nos docuit. Nullum scilicet nos, nec ad hanc usque diem nec serius pulmonum incendium, absque bronchiorum simul inflammatione plus minus conspicua, perspeximus; quotiescumque vero, a morte, *bronchitidem* fortiorem, — toties etiam parenchymatis

pulmonalis molem, duritiem, pondus, adaucta, et puriformis in eodem materiae collectionem reperimus. Cum vero, hoc in casu, dolor simul ad latera thoracis tam atrox, ut omnem attactum recusaret, sine quavis ad *pleuram* inflammatione, comparuerit; concludimus: nec pleurae costalis, nec pleurae pulmonalis, seu externae hujus visceris tunicae, inflammationem, ut *dolor* punctorius, quem aegri, *pleuritidis* sub nomine, ad costas referunt, oriatur, requiri; sed solius membranae bronchiorum internae incendium hos ad dolores provocandos, jam sufficere. Ac revera, inter centena cadavera, post sublatos ejusmodi dolores punctorios, aperta, pleurae costalis inflammationem vix septies, — nunquam vero, hoc solo casu excepto, absque illa parenchymatis pulmonalis, reperimus; ac pleuram adeo intense rubram et turgescentem, quin dolor ad illam accusatus fuisse, vel dum alium thoracis ad locum eundem aegri retulissent, conspeximus. Cum vero pulmonem aegrae nostrae dextrum tribus in locis perforatum videremus, nata nobis et suspicio ideo illius parenchyma sub medio ac forti bronchiorum incendio, subseditse, quod humor puriformis, alias a pa-

renchymate pulmonis susceptus ac fatus, per hos abscessulos in thoracis cavum effluxisset, ac tumorem hujus visceris spongiosi praevenisset; ast vero pulmonis sinistri, integerrimi, bronchia non minorem inflammationem, — nec tamen ullum tumorem, conceperant; et aquae in ejus cavo minore copia collectae, colorem adeo magis rubrum, quam in dextro thoracis cavo, in quod abscessuli patebant, contraxerant. Quod vero hujus cavi thoracici dextri, tanta copia aquarum inundati, angustias augere debuit, *hepar magnum*, et ad costam usque, ex veris, quartam protensum, fuit; atque summa ejusdem cavi extensio, certe non parum ad majores in dextro thorace cruciatus contulisse videtur. Pericardii, ab aquis subitanea repletio, doloris sensum ad cordis scrobiculum, ab aegra accusatum, satis explicat. Vomitus aegrae, sicut in pneumoniis non tam rarus et consensualis esse solet: ita uteri quoque, tam gravidi, quam ad abortum excitati, effectus esse potuit. Hoc unum his addimus: sputa, hoc in morbo rejecta, quod in pneumoniis solent, nunquam a cruce fuisse tincta. Hoc interim signum *bronchitidem a pulmonum inflammatione* eo minus di-

stinguere factum est, quod in fortissimo pulmonum incendio sputa nimis saepe nulla, aut etiam sanguini non commista, secedant.

Encephalitis.

Die 23^a mensis Decembris 1785 cadaver juvenis torosi in nosocomio *Ticinensi* adperuimus, qui dicebatur jam sex per dies apud suos ferociter delirasse. Deferebatur ille hoc sub statu ad dictum nosodochium. Curam hujus mali habuit dexterimus hujus instituti medicus, post duos vero dies aeger e vita decessit. Pulsus hoc tempore erat frequens et fortis. Totum corpus, ut aqua ebulliens praesudore fumabat. Jacebat supinus aeger, respirabat frequenter, et aerem plenis buccis efflabat, spumabat; non amplius furiebat, neque ad questiones respondebat; jussus tamen linguam exserere, conatus ad id faciebat. De capitis dolore interrogatus; et ad illud compressus brachium dextrum elevavit, versus calvariam porrexit, erectum ibi tenuit, tandem capiti sat diu admovit, sicut illi faciunt, qui capitis vulnere laborant. Oculi erant ruberrimi,

ut

ut vix album illorum cerneretur, torvi simul; facies accensa.

Sectio cadaveris.

Cadaver, quod nostros in usus convertere voluimus, juvenes inexperti cum serra, calvariae admota, tam incaute tractare incepserant, ut duram matrem circa occiput, ipsumque cerebellum, quibus scilicet e locis multus aterque sanguis utrumque effluxerat, laeserint. Calvariae parte, jam divisa, a nobis detracta, dura mater, quamvis ejus vasa hinc inde turgerent, non erat inflamata. Utrumque cerebri hemisphaerium quamplurimum rubebat; vasa venosa, valde turgebant, atque arteriolas ubique comites habebant quasi injectas, alibi sectionum visui obiectas. Sinus longitudinalis, sanguine crasso et nigro adhuc valde plenus, non tamen coacto. Cerebrum solito firmius, ut cultro magis resisteret. In substantia medullari, plura puncta, quam in aliis, comparebant, et ubi comprimebatur cerebrum, sanguis transsudabat. Ubiunque per substantiae corticalis aufractus pia mater descendebat, ibi vasa plura infarcta sanguinem fundebant magis. In ventriculo cerebri

Iaterali dextro, uncia una circiter aquae haeredit. Corpora striata vasis depicta erant, et eodem se modo thalami nervorum optocorum habebant. Cerebellum ubique vasis rubris, minimis ornatum, quasi roseum. Ad internam substantiam, eodem modo, ac cerebrum, firmius, puncta rubra quamplurima offerens. In basi calvariae aquae unciae circiter tres haerebant.

Historia morbi et sectionis quam hic exposuimus, est illa, de qua in *Epitomes L. II.* §. 140. p. 46. brevitur diximus: „nos (in encephalitide) conspexisse sudorem copiosum, ac vaporem quasi ab ebullientibus aquis e corpore toto elevari, et caput, cum ad unum bregma intensius doluisse, ad oppositum corporis latus paralysin induxisse.“ De causa hujus morbi, ejusque primo incessu, nihil rescivimus.

Encephalitis per erysipelas faciei judicata.

Dominica Masseroni, quindecim annorum famula, catameniis necdum subjecta, sat irritabili fibra dotata, si febrem, ante annum sponte sanatam excipias, semper sana, postquam ante tres circiter menses pernionibus:

ad manus vexata fuisse; die 3^a mensis Februarii 1792, cum vini generosi duo pocula, talibus non adsueta, ingurgitasset, dein reclinato capite arranea texta verrisset, a tam vehementer capitis dolore correpta fuit, ut lectuli petendi necessitas subintraverit. Post paucas horas, hunc dolorem secutus est calor magnus, febriis, cum vomitu materiae amarae ac viridis frequente. Cum haec symptomata indies maxime circa vesperas, augerentur, die sexta Februarii, tertia morbi, ad clinicum *Ticinense* Institutum aegra delata fuit, ubi sequentia notanda obvenerunt:

Notabilis virium prostratio, cutis sicca, calor, dolor per omne caput expansus, internus, continuus, acutus, pulsatorius, dentium nervos in consensum trahens, et somnum quemcunque avertens. Facies erat tumidiuscula, sitis inexplebilis, tussis hinc inde cum aliquo exscreatu, respiratio tamen sat facilis; os amarum, lingua muco albido obducta, ructus, nausea, vomitus materiae amarae, viridescentis, abdomen molle, alvus quotidie aperta; pulsus pleni, duri, tam frequentes, ut minuto primo, centum triginta quatuor ictus formarent.

Decoctum hordei cum nitro et oxymelle

pro potu, venaesectio ad uncias decem, cataplasma frigidum ex panis mica, aceto, sale ammoniaco, capiti adplicandum, et clyster emolliens praescribuntur. Noctem aegra transegit insomnem, vomitus sexies circiter ejusdem materiae successit.

Die 7^a. Eductus heri sanguis corio obiectus est. Arteriarum ictus ad centum et triginta per minutum primum ascendunt, pleni, duri, ac minus ordinate micantes. Tendinum subsultus hinc inde occurrit. Alvus occlusa.

Praescribuntur puluae tamarindorum, et mannae $\frac{1}{2}$ uncia una, Cremoris tartari solubilis uncia dimidia, in sero lactis solutae, ac enema emolliens. Venaesectio altera ad uncias novem instituitur.

Ad vesperas, aegrae adspectus quidquam melior, sanguis nullo corio obductus, sed ponderosus est. Tendinum subsultus iidem ut mane. Ortus est dolor, tactum non preferens, ad utramque parotidum regionem, in quarum sinistra, glandula lymphatica intumuit. Vomitus aliquoties redivit. Faeces quater copiose egestae. Porrigitur ad noctem emulsio arabica cum duabus nitri drachmis. Hirudines decem temporibus

adponuntur. Fomentationes frigidae *Schmutz* fronti adplicantur. Parotidum regioni, prius cum linimento volatili inunctae, **cataplasma emolliens superimponitur.**

Die 8^a. Nox insomnis, capitis dolor anterora praecipue tenet. Summopere dolet parotidum, imprimis sinistrale, regio. Extenditur dolor ad oculos, dentes, et jugulum, quod externe tactum haud perfert; glandulae submaxillares quidquam tumidae, dolens est deglutitio, nec maxillas facile ducere, nec linguam expedite exserere aegra potest. Oris amaror accusatur, vomitus tamen nullus accessit. Alvus ter soluta. Abdominis dolores aliqui; tendinum subsultus continuant. Pulsus adhuc pleni, duri, centum viginti et quatuor ictus minuto primo offerunt. Etsi vero hucusque deliria nulla se manifestaverint, de latente tamen in calvaria inflammatione dubium nobis non superfuit. Venaesectio igitur ad uncias decem repetitur, et potio laxans alvum praescribitur. Externa quoque continuantur ut heri.

Ad vesperas, doloris sedes dilatatur, ad omne caput internum, ad aures, oculos, dentes, a jugulo ad mammarum regionem usque extensa. Has omnes nempe partes, abs-

que ejulatu aegrae tangi non licet. Difficulter os adperitur, semper adhuc amarum; loquendi hinc facultas vix non ablata est. Potum interim et praescripta medicamina aegra assumit. Haec tamen aliquoties cum vomitu rejicit. Abdominis dolor, soluta alvo, disparuit. Tendinum subsultus frequentius redeunt. Sanguis ultimo emissus, corio, etsi densus, destituitur. Tota die de statu proprio querula, soporosa nunc jacet aegra. Pulsus frequentiores sunt matutinis, minus pleni, sed duri. Vesicans nuchae emplastrum imponitur, serum lactis pro potu porrigitur.

Die 9^a. Dolor capitis multum imminutus, de aurium vero et juguli dolore aegra adhuc conqueritur; mandibulas ea facilius deducit. Facies hodie tumidior est, vomitus cessavit. Alvus adperta, urinae jumentosae sunt. Pulsuum ictus numerantur centum et sexdecim minuto primo, minus pleni: sed duri; nulli tendinum subsultus occurrunt. Somnus aliqualis, sed terrificis imaginibus intermixtus, accessit.

Omittuntur nunc fomenta frigida, limentum volatile et cataplasma circa parotides replicantur. Haustus salinus cum nitro

ac roob sambuci, pro medicina est; serum lactis pro potu.

Hora quarta vespertina, manifesta accedit exacerbatio: dolor ad caput, pone aures, ad jugulum, intensius urget. Summe dolent oculi, quorum dexter praecipue a tumidore facie ex toto fere clauditur. Evidenter nunc inflammatio, ab internis, exteriora versus propagatur. Abdomen quantisper tumet ac dolet. Pulsus frequentiores, pleniores sunt; minus tamen constans haec plenitudo sub digitis tangitur. Emulsionem iterum arabicam praescribimus; enema injicitur. Linimentum volatile pone aures et jugulum, cum camphora junctum, inungitur, his partibus vero cataplasma emolliens imponitur.

Die 10^a. Tota nocte aegra soporosa jacuit. Dolor internus capitis vix non dispaluit. Sed omnem faciem nunc *erysipelas* corripuit, ut quae tumida et livida conspicitur, summopere dolens, imprimis pone aures, dolor ad jugulum extenso. Vomitus non rediit. Pulsus pleni, ac duri, centum et sexdecim ictus minuto primo nobis offerunt.

Venaesectionem ad sex uncias instituimus, pedes balneo tepido immergimus, cataplasma seponitur.

Ad vesperas sopor, qui omnem per diem continuaverat, minor est. Dolor nec in capite, nec ad jugulum est. Facies tumida, dolens, sublivida, cum vesica ad auriculam parva, quam adperiri curavimus. Pulsus, etsi matutinis frequentiores, minus tamen duri ac pleni. Sanguis emissus, corio obtegitur. Haustus salinus pro medicina est. Facies cum linteo obtegitur.

Die 11^a. Aliquantulum aegra dormivit, et a somno levamen habuit. Dolor ad faciem, adhuc tumidam, imminutus est. Pulsationes arteriae centum et quinque numeravimus, parum plenas, non duras. Oris amarities cessat, lingua pura est; alvus aperta. Sedimentum in urinis nullum.

Ad vesperas, res melius incedunt: erysipelaceus faciei tumor quidquam subsedit. Sudor copiosus insequitur, alvusque solvitur.

Die 12^a. Per omnem aegra noctem dormivit, sudavit; bis alvum depositum; cutis ad faciem desquamari incipit; ciborum desiderium subintrat.

Sic sensim sensimque, continuante, leviore tamen, sudore, desquamatio faciei ab-

solvitur, vires redeunt, et vigesima quarta mensis, aegra sibi suisque restituta fuit *).

E p i c r i s i s.

Essi nulla hac in aegra deliria sese manifestaverint; ex causa tamen praegressa, ex febre tam acuta, ex atroci et fixo ad caput internum dolore, ac vomitu, non ex primarum viarum saburris, sed ex ventriculi cum capite consensu inducto, ex statu soporoso, ad internum capitis incendium, quod ad meninges fuisse, hariolati sumus, conclusum fuit. Sub tanto febris in puella nec dum menstruata, sed menstruis vicina, impetu, sub pulsu constanter pleno ac duro, tendinum nos subsultus, quo febrem inflammatoriae contrariam vereremur, minime induxit. Cum vero dolor ad parotidem ac circa aures se proderet: prognostici *Hippocratici* **(non immemores, *erysipelas* faciei praediximus; nec tamen, vel hoc ipso, etsi aliquo cum le-

*) Historiam hanc egregius tunc juvenis, *Josephus Antonius Nicolai*, Cremonensis, conscripsit.

**) „Rubores circa aurem ex praegresso dolore in febris orientes, signum quidem sunt erysipelatis in facie futuri.“ Coac. 200. „Erysipelas ab externis partibus intro converti, malum; ab internis vero, extra, bonum.“ Aphor. vj. 28. Coac. 103.

vamine, comparente, cum febris nimiae symptomata urgere continuarent, donec stimuli moderamen haberetur, ab ultima venae sectione abstinuimus.

Verum in virgine nostra vel cerebri ipsius, vel potius meningum, erysipelas, priusquam hoc *exterius* prodiret, subfuisse, dubitari haud potest. Ne vero, comparente, post signa encephalitidis, in facie erysipelate, hoc ipsum aegro sanitatem praedicere credamus, nisi incendi capitis interni symptomata vel plurimum sedentur, aut cessent, prout in *Epitomes L. III. §. 289. p. 52*, occasione hujusce exempli, jam monuimus, cendum est.

Sic vir illustris, ac universitatis *Ticinensis* moderator, tumores sibi ad caput externum folliculosos, contra medici ordinarii opinionem, aperiri curaverat, ac refrigerio expostus, erysipelas ad caput et ad faciem contraxit. Dissipato hoc vitio per annos aliquot illaesa valetudine gavisus est; sed folliculis ad capitis partem capillatam de novo turgentibus, sectioni eorum se iterum, et mox ab hac, solis verni radiis sub vento sat frigido, caput exposuit. Imminentis sibi morbi sensum, declinante vix die, perci-

piens, ne caro nimis pretio salutis suaे haec incuria veniret, timorem, ante cubitum, expressit. Altera jam die, somno apoplectico sepultus miser jacuit. Cum tertia morbi die erysipelas ad faciem prodiisset: spem amicorum erexit medicus aegri ordinarius. *Mediolanum*, in consilium accersiti, clari viri prognosi ex eo, quod erysipelatis ad *exteriora* propagatio, sensus aegri internos nec quidquam sublevasset, adhaerere, eheu, non potuimus. Morte aegri jam alteram in diem subsecuta, praeter tumorem faciei insignem ac lividum, inflammatio duram menigem validissima, cerebro a lymphatica et coacta materia inundato, oppresso, tenuerat.

Sic anno 1787, vetula in clinicum *Ticinense* Institutum delatum fuit, quam, decem ante dies, praecedente anorexia, frigus intensem, tres per horas exorrectum, calor summus, cephalaea atrox, cum narium obstructione, prehenderant. Tertia jam morbi die, erysipelas pustulosum ad faciem comparuerat. Die duodecima, dolor et erysipelas in crure, absque tumore, se manifestarunt. Sic per septem dies. Tunc pulsus parvi, virium prostratio, facies tumida, foeda, acutissimus cruris dolor. Die decima tertia,

dolores ad brachium, articulos omnes. Surditas, pulsus inordinati, parvi, dyspnœa. Erysipelas nunc ad brachium, intense inflammatum. Accedunt meteorismus, sopor, stupor, surditas major, debilitas; faeces aegra inscie emittit. Die decima quinta, aphona est, tendines subsiliunt, difficulter respirat, pulsus minimus, crustae faciei sunt nigra, alvus liquida. Mors die sequente scenam claudit. In cadavere, sub meningibus serum flavum, cerebrum materia lymphatica coacta obtectum, vasa cerebri a crurore quasi injecta. Cerebellum aqua rubella obtegit. Simile serum ad brachii musculos inflammatos in tela cellulosa stagnabat. Hic igitur morbus, malignae febris sub specie incessit; sed in vera *encephalitide*, per erysipelas ad exteriora comparens nec quidquam mitigata, constituit.

Sic mulier, anno 1791 in clinicum Institutum *Ticinense* suscepta, die sexta Februarii, ad noctem, dolore forti ad aurem internam correpta fuit. Die septima, tota facies ejusdem, et collum et fauces tumuerunt, cum magno dolore, ad aurem etiam persistante. Nunc febris cum frigore atque calore. Die octava, purulenta multa ex ore

rejecit; dolor auris mitigatus fuit. Facies interim valde tumet, sine pustulis. Oris fauciumque phlogosis, collum tumidulum, dyspnœa observantur. Die undecima, deliria, sopor accedunt. Venaesectio instituitur. Die duodecima, deliria continua, disparuit erysipelas; respiratio stertorosa, pulsus inaequales sunt; moritur mulier. Secto cadavere, pulmones inflammati, in aure dextra abscessus ad cellulas mastoideas. Omnia hac in aure, per tubam inflammata, cariosa reperta fuerunt. Fauces, aspera arteria, bronchia inflammata. *Symptomaticum* igitur et hic fuit erysipelas, nec eodem in extenis comparente, strages minor ad interna fuit. Os temporum hujus fœminæ cariosum, museo pathologico *Ticinensi* commisimus.

Sic denique jam a. 1787. mulier erysipelite faciei correpta, ad idem Institutum clinicum delata fuit. Die 14^a mensis accessrant frigus, calor, cephalaea, membrorum gravitas, febris magna, erysipelas, stupor. Die 18^a ad nos defertur. *Loqui aegra non potuit.* Die 19^a, facies tumida, livens, oculi clausidentes, nigri, lingua siccissima, aphonia, respiratio frequens, pulsus celerrimus] intermittens, contractus. Floccos capit mu-

lier, stupida est. Vena secta, et vesicans nuchae impositum fuit. Die 20, os clausum, contractum, sopor, prostratio virium, subsultus tendinum, pulsus intermittens. Posita fuerunt duo vesicantia; sed eadem die obiit aegra. Sectio cadaveris, serum copiosum ad cerebellum, et circa foramen occipitale magnum, — cerebellum tamen molle, cerebrum vero durum, ostendit.

Cerebri abscessus post Otitidem.

Antonius Quaglia, rusticus 40 annorum, quindecim diebus, antequam ad nosodochium *Ticinense* accederet, dextrae auris internae inflammatione correptus fuit. Tertia morbi die gravissimo universi capitis dolore prehensus fuit et insignis frigoris sensu, ad caput constanter relato. His igitur quotidie auctis aeger ad nosocomium defertur, ubi sequentia adnotata fuerunt.

Hemiplegia lateris *sinistri*, quamvis imperfecta, aliqualis enim aderat motus. Certa stupidas, summa virium dejectio. Cephalaea et frigoris sensatio eadem. Venae sectio ad venam jugularem instituitur; vesicantia ad nucham, sinapismi ad plantas

pedum admoventur. Interius haustus salinus cum grano tartari emetici, tandem vero cum duobus hujus granis, propinatur. Aeger continuo stupidior redditur; facies inter trucem et mœstam; pulsus debiles, parvi et tardi redduntur; interrogatus, de dolore capitis, et de sensu illo frigoris conqueritur. Ad corticem peruvianum, serum lactis vinosum, et ad vinum ipsum, sat larga dosi, confugitur. Sensim sensimque musit, subdelirat; lingua est aridissima; summa virium prostratio, pulsus iidem, manus sinistrae tremores, in manu paralytica nulli. Camphora, serum lactis vinosum praescribuntur, sinapismi, vesicantia hinc inde replicantur; sed stupiditas indies augetur, ita tamen, ut mane sui potentior, vespere autem stupidior, quasi comatosus, et aphonus esset. Pulsus semper minimi, non adeo frequentes. Abdomen jam multis a diebus insigniter retractum, et quasi concavum. Iterum ad corticem, cum liquore anodyno minerali *Hoffmanni*, dein ad moschum, valerianam recurritur. Fomentationes quoque frigidae, glacies ipsa, capiti admoventur. Tandem magis magisque aeger collabitur, abdomen semper retractum, brachia spastice

inflexa, musculi faciei quoque rigent, venae frontis, dum spastica partium contractio urget, in tumorem elevantur seu turgent, ista vero cessante, subsidere observantur. Cutis, quae semper hucusque frigebat, calidior nunc redditur. Pulsus, ut minimi, jam frequentiores redduntur. Summa corporis est macies. Mors denique his aerumnis succedit.

Sectio cadaveris.

Aperta calvaria, dura mater prope aurum lateris dextri, tam firmiter cum subjectis sibi membranis ac cerebri substantia cohaeret, ut non nisi vi adhibita ab eadem potuerit divelli. Subtus vero, in ejusdem auris directione, substantia cerebri erat durior, et nucleus offerebat ad castaneae magnitudinem: quo, transversim dissecto, substantia durior, ex cinereo nigra, in ejus centro reperta fuit. Canalis exinde ad parvi digiti diametrum, prodibat, qui altero suo fine hunc ad tumorem, — altero in amplam cavitatem, ducebat. Haec cavitas in ipso cerebri haemisphaerio dextro haerebat, et ex medulla laesa, destructa, et penitus consumta constabat. Pomi mediocris volumen
hocce

hocce cavum aequabat, atque nec cum cerebri ventriculis, nec cum nervis communio-nem alebat. Pulmones rubri, graviores, inflammati fuerunt *).

Abscessus cerebri, cum paralysi.

Vir 35 annorum, Faber lignarius, robustus, 10^a. mensis Februarii 1792 ad clinicum Institutum Ticinense accessit. Huic, ex causis externis, violentis, nares interdum sanguinem fundebant. Ante quinque circiter menses fortiter ad *dextram* narium partem, cum capitis concussione, percussus fuit: unde magnam cruroris copiam per nares amisit, et exinde tantam in hoc profluvium proclivitatem contraxit, ut vel a levi narium allisione facillime *sanguis* ex iisdem prorumperet. Tredecim ante dies, hinc post quatuor fere menses cum dimidio, a quibus ultimam narium laesionem expertus erat, nulla data occasione, *stuporem in dextra manu* persensit, qui stupor lente increscens, omnem tandem digitorum motum abstulit. Hunc stuporem, brevi *dolor ad sinistram* capitis partem inse-
cu-

*) Observationem hanc nobis anno 1790, prima Januarii, communicavit *Joannes de Felici M. D.*

tus est. Dum ad nos pervenisset, nulla amplius digitos ad manum dextram movendi aderat potentia; aderat tamen sensus et calor aliquis. Brachium ipsum facile movebatur. *Crus dextrum* interim cum pede, gravitate quadam et stupore, brevi praetereunte, quandoque corripiebatur. Aderat simul quaedam loquela difficultas, orisque, sub ista, evidens ad sinistra distorsio. Alvi et urinae facilis excretio, retentio. Capitis dolor continuus, in sinistra imprimis parte, noctu cum aliqua febricula insurgens; facies admodum rubra, oculi splendidi, fulgentes, pulsus pleni, fortes, vibrantes sunt. Sanguinem mox ex jugulari vena sinistra, ad libram, detraximus, ac alvum cum pulpa tamarindorum et cremore tartari evacuavimus.

Die 11^a. Mane, dolor ad caput sinistrum insigniter auctus, nulla tamen febris fuit. Cucurbitulas scarificatas occipiti adponimus. Ad vesperas dolor paulo minor, pulsus vix frequentior est. Alvus difficulter et purganti medicinae, et clysteri respondet.

Die 13^a. Dolor quidquam minor, pulsus pleni et fortes sunt. Venaesectio ad li-

bram instituitur. Ad vesperas pulsus paulo frequentior, alvus soluta est.

Die 15^a. Formicatio in manu sinistra, dolor oculi sinistri, sub erecta corporis positione evanescens. Parvum vesicans, ut rubefaciens, tempori sinistro adponimus, unde insigne doloris decrementum fuit.

Die 16^a manum aeger dextram quidquam movit. Ad vesperas dolor oculi auctus, altera die adhuc major, cum lucis impatientia. Octo hirudines tempori sinistro admovemus. Abinde dolor oculi imminuitur, ac lucis auffertur impatientia.

Die 19^a. Cephalaea major, pulsus pleni, fortes, rubor faciei major. Hirudines duodecim tempori sinistro, mox vero vesicans imponuntur.

Die 20^a. Dolor quidquam minor, atque sic nunc major iste, nunc minor fiebat.

Die 23^a. Valde hic auctus fuit cum levi sopore, stupore universali, pulsu pleno, forti, alvo clausa. Os amarum est. Sanguinis iterum unciae decem detrahuntur, et potio laxans praescribitur.

Die 25^a mane. Pulsus molles, exiguus capitis dolor, alvus soluta.

Die 27^a melius aeger se habuit; hinc inde

tamen pedis dextri contractiones obser-
vantur.

Die 28^a. Aliquoties in die visus obnubi-
latur, pulsus tardi, 54 in minuto primo.

Die 29^a. Formicatio manus paralyticae,
pulsus lenti, motus in illa aliquis hinc inde.
Levis interdum vertigo, cœphalaea mode-
rata.

Die 2^a mensis Martii, nulla; pulsus na-
turales.

Die 3^a pruritus, pustulae (aegro antehac
solitae) ad brachium sinistrum, sequente
die adactae. Hinc brachio huic vesicans
imponimus.

Die 5^a. Nullus capitis dolor; disparuit
impetigo, sed urina copiosior est. Cruris
impotentia. Dantur calomelas grana duo.

Die 8^a. Vertigines; et visus obnubilatio
recurrentes. Alvus adperta.

Die 9^a. Liber fuit aeger a capitinis dolore,
vertagine.

Die 10^a. Surditas auris sinistrae. Vespe-
re frigus diuturnum, calor auctus, pulsus
quidquam febriles, pleni. Altera die lo-
quendi difficultas, rubor faciei, aliquis capi-
tis dolor.

Die 12^a. Oculi dolor aliquis.

Die 13^a melius se habet, manum quidquam movet. Circa meridiem *convulsiones epilepticae* ad latus utrumque. Vespere satis bene se habet, dolor capitis nullus.

Die 15^a. Pulsus pleni, dolor capitis, facies accensa, loquela difficultas. Sectio venae jugularis ad uncias novem. Ad vesperas, dolor capitis exiguus, sed magna loquendi difficultas, altera die adhuc major, cum pulsu pleno, tardo.

Die 20^a iterum pejus aeger se habet: dolor capitis auctus, rubor faciei, major loquela difficultus. Cucurbitulae sex, rasis capillis, capiti imponuntur.

Die 22^a. Capitis dolor exiguus, summa loquendi difficultas, stupiditas, inscia urinae in lectulum excretio.

Die 22^a. Loquela potentia fere sublata est, dolor capitis nullus. Pulsus vibrantes ac pleni sunt. Venaesectio ad uncias decem. Sanguis a corio quidquam obtegitur. Parum aeger sudavit.

Die 23^a. Capitis dolor, loquela vix ulla.

Die 25^a. Eadem rerum conditio, sed pulsus pleniores, fortiores sunt. Sanguis ad octo uncias detrahitur.

Die 26^a. Singula imminuta sunt symptomata.

Die 27^a. Haec iterum augentur, cum pulsuum plenitudine, nova venaësectio ad uncias decem.

Die 30^a. Cucurbitulae ad nucham et ad tempora. Pulsus vero magis vibrantes et pleni reddebantur. Hinc sanguis ad libram unam dicitur ex vena jugulari.

Sic per dies aliquot res semper in pejus ruebant, donec constans demum lateris dextri paralysis accesserit. Sic multos adhuc per dies eodem in statu res permansit; tandem vero *die 16^a*. Aprilis iterum convulsiones epilepticae. *21^a*. die repetitae, accedunt, et aeger *22^a* *apoplectice* extinctus fuit. *Nulla unquam deliria!*

Sectio cadaveris.

Adperto cranio ac dura meninge, mox in cerebri hemisphaerio *sinistro*, ad posteriora, tumor prosiliit, quatuor digitos in transversum latus, et ultra duos pollices profundus, mollis, et duabus maculis lividis notatus. Adpertus hic tumor, retulit cavum amplum, materia coacta, brunea, molli, cum sanguine remista, et cerebri corrupti

substantiam referente, plenum, cui digitus, anteriora versus, ad pollicem unum cum dimidio immitti potuit. Huic ulceri, anterius, alterum ulcus, superius primo, comparuit, in ipsa pariter medullari substantia positum, nullibi cum priore communicans. In media cerebri, sinistri hemisphaerii, medullari substantia, prope sinum falciformem, macula sese obtulit livida, quae, semper latior, ad ipsum usque ventriculum sui lateris descendebat, incipientem in medio sui veluti suppurationem offerens. In dextro hemisphaerio, similis ventriculo lateralí macula superimponebatur, lata admodum, similemque atram materiam sistens. Ventriculus cerebri lateralis uterque, praeter paucum serum, materia brunea, molli, quasi polyposa, opplebatur; quae materia ex uno ventriculo in alterum, communicationem alebat; hac vero sublata, fundus ventriculorum integer erat. Cerebellum sanissimum. Reliquae cerebri partes intactae fuerunt.

E p i c r i s s.

Confirmat haec observatio, quae in *Epitomes* L. II. §. 142. p. 49. docuimus: „aliquando scilicet, post encephalitidem, in uno al-

terove cerebri hemisphaerio, aut in ipso cerebello, tumoris fere circumscripti, ex pallido rubentis, flaviusculi speciem detegi, in quo pultacea quasi ac cineritia, pure tamen quodammodo crassior ac fere sicca inveniatur materia.“ Sectionum pathologicarum huc spectantes historias plurimas collegit *Lieutaud* *), atque *Morgagnius* similiter recensuit **). Quamvis autem *Bursierius* speciali de *Sphacelismo Hippocratis* capitulo tractaverit, atque hunc morbum a cephalitide disjunxerit ***); nimis tamen inconstantia sunt unius ejusdemque morbi a *gradu inflammatoris* symptomata, quam ut ideo genus inflammationis diversum per certos characteres exprimere queant. Graphica interim egregii quondam nostri antecessoris ac amici de *sphacelismo* cerebri descriptio est: „Facies, „inquit, tumet rubetque; oculi venis sanguine turgidis distenti, ac fere defixi immobilesque prominent; mens veluti stupida

*) Hist. anat. med. T. II. L. 3. p. 169. 170. sqq.

**) De sed. et caus. morb. Ep. vii. Legi quoque meretur *Fischer*, Abhandl. von einer verborgenen Entzündung und Eiterung des Gehirns. S. Samml. der ausserles. Abh. für Wundärzte, 7 St. S. 237.

***) Instit. med. Vol. 3. §§. 168 — 180.

„torpet; aeger ab imo pectore trahit suspi-
 „ria, ingemiscit subinde, obsurdescit, aut
 „certe difficilius audit. Interrogatus, respi-
 „cit quidem alloquentem; sed vix respondet
 „unis plerumque intercisisque voculis; dein-
 „de mox ab alto silentio premitur, sensus-
 „que prope amittit, solo motu superstite,
 „quo adeo irrequieto plerumque agitatur, ut
 „locum, quo conquiescat, in cubili invenire
 „non posse videatur. Exsilit etiam quando-
 „que, inordinate modo huc, modo illuc se
 „revolvit; modo crura pedesque dimovet;
 „modo brachia projicit; modo manus ad ca-
 „put convertit, modo capillos, modo bar-
 „bam evellens, modo faciem unguibus sibi
 „dilacerare aggreditur. Morbo autem jam
 „provecto, sensibusque prorsus extinctis, se-
 „datur, languet, ex toto obmutescit, oculos
 „interdum, alta voce excitatus, aperit, sed
 „nihil respondet, imo ne annuit quidem, et
 „quandoque, vel acriter punctus, membra
 „non retrahit, nec ejulatum emittit, apo-
 „plectico tum haud dissimilis, atque inter fu-
 „nestissima haec symptomata citissime in-
 „terimitur. In pueris saepe vidi resolutio-
 „nem unius lateris, aut opisthotonum, aut
 „motus convulsivos aliqua in parte, impri-

„mis circa faciem, mortem praecedere *).“ Eximie certe cum hac descriptione convenit sequens, quam hic breviter modo ex nostris diariis excerpimus, historia.

Vir juvenis *Ticinensis*, triginta circiter annorum, anno 1790, sine causa manifesta, in lethargum incidit, quem atrox capitis dolor praecesserat. Succiplemum floridumque hunc juvenem tunc per venae jugularis sectionem, ac per hirudines ad tempora, et post aures positas, nec non per alviductiones blandiores, sine reliqua paralysi, unius spatio hebdomadae, restituimus. Anno vero 1792 vir hic idem ab atroci capitis dolore, faciei rubore insigni, correptus fuit. Febris tunc pauca fuit, et pulsus pleni ac vibrantes, eandem sibi, quae duos ante annos tam utilis fuit, medendi rationem exegerunt. Nunquam tamen, sub morbi principio, sopor accessit, neque aeger aut ferociter unquam, aut aliter, quam vel ante, vel post somnum solent homines, deliravit; sed per dies adeo extra lectulum versatus, sub pulsu non amplius febrili, etsi pleno, nihil praeter perpetuum cephalaeae incrementum accusavit. Sic aliquos per menses, modo plus, modo

*) I. c. §. 170.

minus, de hac ipsa conquestus est. Tandem supinus ac in dorsum semper jacuit, et oculis semiclausis dormire videbatur, sed facta quaestione, nihil quidem respondebat; manum vero utramque versus caput tulit, hoc ipsum non tetigit, sed quantum id doloreret, quasi mutus, manifestavit. Oculi adperti, vasis rubris ac turgidis undique picti, turbidi ac moesti fuerunt, mox iterum a palpebris obiecti. In altos interdum ejulatus aeger rapiebatur; aliquando lectulo cum impetu prosiliit, per cubile, desperabundus, citiore gressu ambulavit; nunquam tamen vomuit, aut mentis impos est visus. Sub fine morbi lethalis, nobis tunc *Papia* absentibus, quietus et quasi stupidus, in unum latus capite conversus, nec oculos amplius aperiebat, nec verba proferebat; sed ambabus manibus capiti admotis, profunde suspirabat, ac tandem sensu omni destitutus, more apoplecticorum exstinctus fuit. Amplissimus in cerebri hemisphaerio sinistro abscessus, vix tamen pure, sed caseosa quasi ac pultacea, cinerei coloris materia repletus detectus fuit.

Sic etiam vir quadragenarius, mense Januarii 1786 ad clinicum Institutum *Ticinense*

susceptus, sinistro in latere paralyticus, sub fine morbi lethalis, enormes capitis dolores, continuos ejulatus extorquentes, manifestaverat; *parum* interim *deliravit*, parum dormire potuit. In cadavere, *dextrum* cerebri hemisphaerium, ad centrum semiovale *Vieussenii*, largum is nobis abscessum obtulit. Similem etiam abscessum in parte cerebri posteriore deteximus.

Partem vero cerebri conspicuam, sine functionum mentalium laesione devastari posse, quod jam ab aliis adnotatum fuit, ex propria etiam observatione fuimus convicti. Mercator, prope *Bruchsaliam*, a latronibus ad caput percussus, fertur ad urbem. Ob vim summam, calvariae illatam, spes vitae servandae pauca chirurgis conceditur. Post noveindecim tamen hebdomadas, hunc virum per plateas versantem, praeter parvum ad frontis partem dextram vulnusculum, fascia munitum, aspectu sanum vidimus. Cum igitur chirurgus expertus, hoc vulnusculum, pertinaciter adpertum, specillo, caute admoto, examinandum, in supino aegro subjiceret: cariem ille quidem ad os frontis detexit; sed specillum suo pondere calvariam, plures ad pollices, ut vastum in cavum

penetravit ac delapsum fuit. Perterritus chirurgus, instrumentum, quin aeger hujus sensum habuisset, ex cerebro retraxit, ac terroris percepti rationem amice nobis exposuit. Cum vero hic mercator, *Frankofurtum* altera jam die petiturus, per urbem nobis obviam prodiret: ab itinere eundem, etsi nullius incommodi sibi concium, donec vulturuscum ad frontem clauderetur, deflectere incassum tentavimus. Ipsa scilicet nocte insequente, hoc iter in curru publico suscepit, nec de importuna corporis ab eodem conquassatione conquestus est; vix autem urbem alliderat, cum, subitaneo ad caput erysipelate correptus, tertia hujus symptomatis die e vivis discessit.

Sic anno 1766 virum robustissimum, *Rotalbae*, quo loco primam lucem conspeximus, tractavimus; qui vir probus, ut vicini sui boves ab interitu salvaret, ex altissima rupe in vallem profundam ipsem et praecipitatus fuit. Ad prominentem rupis angulum, capite, sub lapsu, allitus, calvariam miser in octo partes diffregit adeo, ut digitum inter ossis parietalis sinistri fragmenta transversim imponere potuerimus, et ut singula hujus lateris integumenta capillata, horrido

aspectu, cum ipsa aure externa, ab ossibus
cranii divulsa, super humero pependerint.
Atqui tamen hic vir, non modo novem per-
dies supervixit; sed nec minime deliravit,
semper sibi praesens, si duas ultimas ante
mortem horas, quibus utique delirium ac-
cessit, excipias.

Vomitus lethalis ex encephalitide.

Mense Martio 1792, mulier 30 annorum,
clinicum Institutum *Ticinense* adivit, sexto
mense grava. A quadraginta duobus jam
diebus illa vomitu fere continuo laboraverat.
Insignis ad caput dolor praecesserat, nec ul-
lum huic remedium oppositum fuerat. Ca-
put nunc quoque doluit, sed facies pallida
fuit atque cachectica. Amaror oris, vomi-
turitio perpetuo urgent, et frequens est bilis
aeruginosae ex ore rejectio. Deliria, quod
noverimus, hucusque nulla fuerant; foetus
sese in utero adhucdum movebat. Ad ve-
speras, pulveres ex cremore tartari cum
quarta parte grani unius tartari emetici mix-
to, porrexiimus. Die sequente maximam
aeruginosae bilis copiam ad horas matutinas
evomuit, continuas nauseas accusans. Prae-
buimus tunc radicis Ipecacuanhae grana duo-

decim. Mox ista revomuit. Cum vomitus ad vesperas urgeret, laudani liquidi viginti guttas porrexiimus. Ex instanti et ista revomuit. Eadem tunc medicina, absque alio vehiculo, propinata fuit. Retinetur haec per horam; tunc partum praematurum mulier passa est. Mox vomitus iterum ingruunt, et ad finem noctis moritur aegra.

Sectio cadaveris.

Adperto cadavere, nihil morbosi in abdome comparuit, exceptis vermibus, ex ascaridum lumbricoidum familia, tribus, flavo viscidaque bile obductis, et in ventriculo repertis. Vesicula fellea collapsa et fere vacua fuit. Adperta calvaria, duram meningen ad utrumque os parietale summopere inflamatam, atque versus cerebrum a pseudomembrana investitam, ruberrimam conspeximus. Serum puriforme cerebrum, non durum, ac piam matrem inundaverat.

E p i c r i s i s.

Erravimus igitur, dum, morbum biliosae indolis credentes, levissimum licet, emeticum porrexiimus. Absentia delirii, soporis, quadraginta duo dies, sine alio, quam vo-

mitus, phœnomeno transacti, hunc nos in errorem in muliere, quam certe nulla methodus salvasset, traxerunt.

De Glossitide.

Dum *Epitomes* secundum, de inflammationibus, librum ederemus, viginti sex annorum in rebus medicis experientiam, non communem sane, habuimus. Ingenue interim tunc fassi sumus (§. 163.), *glossitidem primariam* illuc usque, unico modo exemplo nobis ipsis comparuisse. Aliorum hac de re scriptorum observationes ignorare certe non potuimus. Ab eo tempore, sexies hunc morbum conspicendi occasionem nacti sumus; ut igitur in amplissimo artis, per novem fere lustra, exercitio, modo *septem* hujus morbi specimina nobis ipsis oblata sint. Cum senioribus variarum regionum medicis non paucis, ut consuevimus, hunc etiam circa morbum conferentes, et illis eundem aut raro, aut nunquam obvenisse intelleximus *). Casu interim

*) *Viennense* in nosocomium, cui novem per annos dirigendo praefixi fuimus, *sexdecim* circiter *millia aegrorum* ac *parturientium* quotannis suscipiuntur. Deductis his ultimis, 13000 incirca aegrorum per annum

terim, aut forte fortuna, junioribus aliquando talia, quae senum oculos fugerant, videre pluries conceditur. Sic occasione primae glossitidis a nobis *Tiam conspectae auditorum nostrorum unus* *), cui fidem dengare non licuit, sibi octo hujus morbi, *Heidelbergae* ante annum quasi *epidemici*, exempla vel unico in anno oblata esse publice testatus est. Quamvis autem varii glossitidis casus in fastis medicorum descripti legantur; ob morbi nihilominus raritatem, aliquos ex illis, qui, praeter illum, quem in *Epitome nostra l. c. §. 164*, retulimus, aut nobis aut amicis nostris oblati sunt, hic referri, non inutile fore ducimus.

Glossitis catarrhalis.

Mitioris specimen glossitidis hic primum tangimus. *Josephus Schweieler*, novemdecim annorum juvenis, opifex scriniarius, robusti satis corporis, praeter psoram et aliquem ventriculi dolorem, a quibus ante annum

num superstant. In tanto vero aegrorum numero, nec *septem* quidem glossitidis exempla fuerunt.

*) *D. Edmundus Schmuck*, Heidelbergensis, morte prematura literis eruptus.

beratus fuit, sanus semper vixit, donec ante mensem, pectoris nariumque catarrhus eundem corripuerit. Quatuor ante dies, horripilationes vagae, caloribus interruptae, dolor capitis, tussis inanis, deglutitio impedita accesserunt, quibus singulis neglectis, dolor faucium increvit. Tandem, 8^a mensis Decembris 1796, de nocte, ardenter aeger dolorem ad apicem linguae persentit. Mox haec intumuit multum, exaruit, doluit, et ad loqulam inepta, oris cavum moleste implevit. Nosodochium igitur Viennense ingressus juvenis, alvo primum purgatus est, sine levamine, decies.

Die 9^a Decembris. aeger ad Institutum clinicum susceptus, doluit ad caput, ad frontem imprimis, sensibilior ad lucem fuit oculus, coryza perstitit, lingua rubro admodum colore notata, tumida, arida et ardens, nec porrigi, nec retrahi potuit, tumuerunt glandulae sublinguales, tonsillae, vox simul et deglutitio fere impeditae, libera quidem respiratio, nisi per tussin turbata, sitis magna, cutis sicca et ardens, pulsus frequentes, quidquam elevati, horrores caloribus intermisi, adnotata fuerunt.

Cataplasma emolliens sub mento, ves-

cans ad nucham posita, vapores tepidi ad linguam dirigendi, collutorium ex lacte, enema nutriendis ex juscule carnium cum ovi vitello, pro medicina vero, infusum, ac roob sambuci, cum aceti ammoniacalis uncia una et dimidia, praescripta fuerunt.

Die 10^a. Noctem aeger sat bene transegit; lingua mobilior, dolet minus, toto corpore sudor prorupit, alvus quinques soluta fuit, tussis arida, dolor capitis continuant; urina rubra, parca est.

Die 11^a. Linguae tumor dolorque magis imminuti; capitis dolores cessant; liberior est deglutitio. Sudor undique profluit; alvus bis mota fuit.

Die 12^a. Nox inquieta fuit, dolor ad oculorum orbitas haeret, dolent artus, tussis inanis aegrum divexat, cuius interim lingua minus dolet, magisque detumuit. Pulsus molles ac debiliores sunt.

Corticis chiae decoctum, cum liquoris anodynī Hoffmanni drachma dimidia pro usu interno, infusum vero sambuci cum melle, pro collutorio, propinantur. Cataplasma, vapores continuantur.

Die 13^a. Sudor hac nocte copiosus fuit;

tumor linguae, tonsillarum, disparuit, somnus placidus, febris vix ulla.

Ad vesperas caput iterum dolet. sitis urget, dolent artus, pulsus iterum febriles, sed molles sunt; lingua interim humida, deglutitio non dolent, transpiratio cutis acidum redolet. Decocto corticis camphorae superadditur scrupulus.

Die 14^a. Nox melior successit. Dolor capitis evanuit, sudor aliquis, nullus ad linguam aut fauces dolor accusatur, pulsus naturalem frequentiam observant.

Die 15^a. Praeter tussim, disparuerunt morbi symptomata. Camphora seponitur, removentur cataplasma, vapores.

Die 18^a convalescens juvenis ad suos laetus redivit *)

Glossitis cum suppuratione.

Quindecim annorum puer, vitae campestri adsuetus, ab omni morbo hucusque immunis, octo circiter ante dies, cum, sub gelu acuto, levi ueste munitus, labori fortius incumberet, dolorem a dorso linguae versus

*) Aegro adstitit, ac morbi historiam conscripsit *Antonius Seichter*, medicinae candidatus.

apicem extensum; simul vero ad fauces dilatatum, expertus est. Lingua hoc rerum sub statu intumuit. Successit nunc frigus per tres dies continuum, nulli calori intermistum.

Die 8^a mensis Decembris 1792, hic puer ad clinicum Institutum *Ticinense* defertur. Facies illius rubet, caput vero dolore liberum est. Verba, quae proferre tentat, intelligi ab aliis haud queunt. Difficilis maxillarum diductio est. Lingua dura, situm mutare, aut porrigi medico haud potest. Cochlearis per manubrium quidquam ea depressa, mucro tenaci obducta, tumorem ad radicem suam, ab attactu dolentem, modice elevatum, praesentat. Screamatio, vel tussi nulla. Praeter fluida, jam duobus a diebus, deglutiri nil potest. Glandulae submaxillares tument, et omne quasi mentum occupant. Nullum adest ciborum desiderium; respiratio tamen facilis, pulsus pleni ac duri sunt: venter mollis est.

Cruor ad uncias decem e vena emittitur. Sub mento, cum linimento volatili illito, cataplasma emolliens imponitur, lac tepidum, ore detinendum, et enema praescribuntur.

Die 9^a. Somnus nocte nullus, cutis ari-

da; cœtera symptomata continuant. Sedimentum in urinis puriforme conspicitur. Octo hirudines sub mento ponuntur. Decoctum hordei cum nitro et melle pro collutorio praescribitur.

Ad vesperas, pulsus pleni, frequentes, subduri; dolor glandularum sublingualium acibus est. Famem puer nihilominus accusat; lactis vaccini libra, tepide haurienda, conceditur.

Die 10^a. Absque sudore noctem transagit. Dolor submaxillaribus in glandulis major est. Lingua magis rubet, ac a lymphae coagulo obducitur; mobilior tamen, verba quaedam melius pronunciat. Febris imminuta, pulsus tamen adhuc frequentes sunt.

Praescribitur haustus salinus cum grano tartari emetici; continuantur reliqua.

Nulla circa vesperas exacerbatio fit; durities glandularum interim perseverat, et ad minimum attactum hae dolent.

Die 11^a. Nox quieta fuit, sudor nullus, puriformis in urinis materia subsidet, febris vix manifesta est.

Post prandium sudor accessit, non quidem largus, sed tamen per omne corpus

diffusus. Pulsus magis pleni sunt, deglutitio liberior.

Die 12^a. Tumor ac durities ad glandulas continuant; in urinis nihil subsidet; sudor nullus est.

Die 15^a. Tumor in glandulis submaxillaribus hucusque increvit, rubore, dolore pungente, pulsante, ad attactum aucto, distinctus. Hirudines octo iterum adponi jussimus.

Die 16^a. Manifestum in tumore suppurationis initium digito se prodit. Cataplasma illi adponitur.

Die 17^a. Fluctuatio manifesta nunc in tumore percipitur, febris vero nulla est.

Die 19^a. Pus per foraminula tumoris sponte prorumpit, per duas dies effluere continuans. Sic tumor magis magisque immunitus tandem evanuit, ac naturalem sibi formam mentum adeptum est.

Die 26^a puer, sanitati perfectae restitus, decessit ad suos *).

*) Historiam morbi descripsit, et aegro adstitit Edmundus Schmuck, medicinae Candidatus.

Glossitis altera, in suppurationem versa.

In pago *Mandelli*, Auditor noster, *Vincen-*
tius Pini, Medicinae Doctor, virginem rusti-
 cam, 24 annos natam, morbo nullo hucusque
 vexatam, pinguém ac robustam tractavit ex
 glossitide correptam. Die nempe 15^a men-
 sis Augusti 1793, illa, postquam pridie su-
 dor ei suppressus fuisse, in tussim siccam,
 cum faucium titillatione et loquelae difficul-
 tate, incidit; quibus vesperascente sole, fe-
 bris consociata fuit. *Die 16^a* mane, haec
 quantisper remisit; sed paulo post exacerba-
 ta fuit cum diurno, et membra concutiente
 frigore, tussi sicca, faucium et linguae ari-
 ditate, ardore atque tensione, ad vesperas
 adactis. *die 17^a* nulla accessit febris remis-
 sio, sed symptomata recensita increverant,
 ac omnis tam deglutiendi, tam loquendi fa-
 cilitas ablata fuit. Ad noctem febris, cum
 magna cephalaea, intensior facta est.

Die 18^a. Acceritus nunc medicus praet-
 ter symptomata relata, faciem observat ru-
 bram et tumidam, oculos splendentes, ca-
 pitis gravedinem; os ob linguae, ultra den-
 tes propendantis, tumorem, apertum. Pars
 linguae, oculis subjecta, materia lardacea

ac alba obtecta est. Magnus tumor glandularum sublingualium, maxillarium, ad magnam juguli partem, in sinistro praecipue latere, extensus, aderat. Urgebat sitis, sed nulla fuit deglutiendi possilitas, respiratio erat difficilis. Pulsus oppressi magis, quam pleni, abdomen tumebat, alvo a tribus jam diebus minime reserata; cutis arida fuit et sicca. Vena tunc ad libram secta, cataplasma emolliens mento et collo admodum, et enemata praescripta fuerunt. Ut lactis tepidi, quantum liceret, vel ore retineret, vel deglutiret, imperatum fuit.

Die 19^a mane. Sanguis emissus nullo obtegitur corio, sed admodum tenax est. A clystere, alvus copiose mota fuit; Noctem aegra valde insomnem transegit. Pulsus magis elevati, duriores sunt. Glossitidis, cynanchis symptomata vigent. Altera hinc venaesectio ad libram instituta, in cœteris vero continuatum fuit. Ad vesperas, sanguis extractus corium aliquod obtulit. Faciei rubor, splendor oculorum, capitisque gravedo vix amplius persistunt. Faucium pariter ardor et tensio imminuuntur; respirandi interim atque deglutiendi difficultas continuant. Pulsuum eadem et plenitudo,

et durities est. Tertia hinc venaesectio instituta, cum cœteris autem continuatum fuit.

Die 20^a mane, sanguis heri emissus crux^stⁱ evidentiore obtectus est. Alvus bis laxata fuit. Quamvis autem febris aliqua symptomata remitterent; lingua tamen mole sua omne oris cavum adhuc implebat: quapropter decem hirudines sub mento et ad colli anterius positae fuerunt, quarum ope septem circiter cruoris unciae effluxerunt. Linteoli ope tenacior materia caute a lingua abstensa fuit. Ad vesperas, tumor externus non parum imminutus comparuit. Dolor et tensio faucium minores sunt. Nulla febris observatur exacerbatio. Cutis erat madida et pulsus non amplius aut duri, aut vibrantes fuerunt. Infusum hinc sambuci propinatum, enema praescriptum, ac in cataplasmate continuatum fuit. Versus horam nonam nocturnam, medicum, mater aegrae, ut ad filiam, morti vicinam, properaret supplex orat. Ad orci fauces revera haec haeserat. Omnem nempe spiritum linguae tumor strangulans adimebat. Hoc tremendo rerum sub statu, de tracheotomy cogitavit medicus, si mortis augerentur discrimina; sed novam

prius crux missionem instituit, quam, nisi terror id ad finium impedivisset, ad venam jugularem tentasset. Mox a misso sanguine, respiratio aegrae facta est liberior; stertor et anxietas moderari cœperunt. Post aliqua vero minuta, sub valido ad tussim nisu, nemine id suspicante, *abscessus*, qui ad latus sinistrum basis linguae haerebat, diruptus fuit, et puris concocti tres fere unciae, cum summo aegrotantis levamine prosilierunt.

Die 21^a. Nulla amplius febris comparuit, lingua glandulaeque detumescunt. Magnam puris quantitatem illa primis diebus fundebat. Cutis cœpit madescere; alvus bis mota. Ter quater in die linguae ulcus cum hordei decocto et melle abstergitur.

Die 24^a. Nullam hucusque febrim accusavit aegra; ulcus, nova substantia repletum, parum puris fundebat. Nocte copiosus sudor manabat sub calore vix non naturali. Urina sedimentum deponit lateritium. Loquela indies fit clarior.

Die 28^a. Cum linguae abscessus coaleverat, tuberculum ad latus illius durum remansit, quod sub loquendo dentes allidens, difficilem reddere verborum pronunciationem, ac ingratam sensationem aegrae adferre so-

lebat. Hinc uncia mellis cum acidii sulphurici drachma una remista, et bis terve in die cum istis tuberculum ad linguam illitum fuit. Quindecim dierum spatio hoc ipsum, hac sub methodo, dispersum, perfectae vero aegra saluti restituta fuit.

Glossitis, ex Nicotianae tabaci foliis orta.

Audotia Tichonova, nautae uxor, 37 annorum, constitutionis haud robustae mulier, et praegressis morbis variae indolis, tum aliis, aut syphiliticis, nec non venaesecti-
nibus ex consuetudine institutis, exhausta.
Anno 1805 haec faemina duorum foetuum
abortum passa est, et ab hoc tempore urinae
laboravit involuntario profluvio. Anno 1806
odontalgia vehementissima suborta est, ad
quam sopiendam, aegra, consilio agyrtae,
nicotianae tabaci folia dentibus applicuit. Re-
medio hoc per nycthemeri spatium in oris
cavis detento, lingua ad tantum tumorem,
sub summis doloribus, increvit, ut os nullo
modo claudi potuerit. Rubebat pars haec
summopere. Salivae fluxus uberrimus, con-
tinuus, sub tussi adauctus, accessit. Hoc
misero sub statu, aegra, sine omni auxilio

adhibito, vix deglutire potuit, vix verba quaedam proferre. Magna simul respirandi difficultas, vigiliae nocturnae, has miserias ita augebant, ut, die 12^a Novembris, haec aegra, in clinicum Institutum Academiae medico-chirurgicae Petropolitanae delata, moribundae faciem faeminae nobis offerret.

Exmini hoc in loco subjecta, fœtorem haec mulier insignem vixque tolerabilem late sparsit. Salivæ magna copia perpetuo ex ore fluxit. Lingua tumefacta, dura, præ-rubra, muco albo, cremori lactis simili, copioso, involuta, immobilis haerebat, ad omnem attactum sensibilissima. Parotides simul dolent tumentque; urgent vertigo, cephalaea. Deglutitio prorsus fere est impossibilis, ac parum modo liquidi fauces transire valet. Respiratio laboriosa, loquela fere nulla, ut solis cum signis aegra se exprimat. Pectoris quoque et hypochondrii sinistri dolorem manifestat; facies pallida, oculi mœsti, lachrymantes sunt. Maxillæ inferioris motus impeditus, os vero late adpertum est. Ad noctem aegra frigus, quod calor insecurus est, persensit. Lassitudinis insignis imago coram habetur. Conatus urinam mitten-di frequens est, nihilominus ista nolenti fœ-

mina profluit. Abdomen molle, sub attactu non dolet.

Pro colutorio praescribitur infusum florū chamomillae, cum lactis aequali portione remistum. Glandulae parotides, mentique regio, cum linimento volatili inunguntur, ac panni lanei calefacti adplicantur his partibus.

Die 13^a. Noctem aegra sine somno transegit, sitis summa; pulsus exiles frequentes fuerunt. Alvum hoc mane liquidam, paucam, excrevit. Linguae tumor, rubor, dolor insignis. Post meridiem, frigus in longum tempus extensem, ab aegra percipitur. Sequitur hoc calor cum pauco sudore. De pectoris, nec non de sinistri hypochondrii dolore, novae querelae. Fauces dolent ac ardent. Respirationis difficultas quidquam imminuta est; pulsus semper exiles ac debiles sunt. Ex oris cavo fœtor, cum illo ex urinis, in lectulum continuo demissis, conjunctus, per omne spargitur magnum cubile. Decoctum malvae, cum melle despumato pro collutorio nunc praescribitur. Lac tepidum, aut jusculum, qua potest, ratione ingeritur.

Die 14^a. Somno interrupto per horam aegra dormivit. Fœtor cris hodie quidquam

magis est tolerabilis. A jusculi quidquam calidi deglutitione, frustum sanguinis coacti, durum, magnitudinis unius pollicis cum dimidio, ex ore decidit, unde quidquam leveminis mulier percepit. Alvus hodie non fuit deposita; urinam vero aegra, hujus excretionis conscientia, minxit. Ad noctem febris augetur, cutis vero mansit sicca; caput doluit, lachrymabantur oculi; dormivit parum, sed quidquam facilius respiravit aegra. Pulsus semper debiles et frequentes sunt. Alvus parum soluta, foetidissima et fluida. Linguae dolorem aegra, sub attactu, minorem accusat; sub verborum vero articulatione pungentem experitur. Alba spissaque materia omnem linguae superficiem superiorem obtegit, nec tumoris in illa decrementum observatur. Volumen interim parotidum, saepius cum linimento volatili cum camphora inunctarum, sensim imminuitur. Mollior etiam hic tumor est, parumque doloris inducit.

Die 15^a. Cephalaea quidquam minor, dolor vero linguae, sub loquela pungens, continuat. Pectoris atque hypochondrii sinistri dolores dissipati, ad articulationes conversi sunt.

Pomeridianis horis, sitis magna fuit, ac

frigus intensus accessit. Linguae, pauco nunc muco obductae, durities imminuta est, ac tumor quoque subsidet. Salivae fluxus foetidae perpetuus est. Pulsus frequentes, molles, et quidquam elevati sunt.

Colutorium hodie praescribitur ex infusi florum chamomillae libris duabus, et laudani liquidi *Sydenhami* drachma una.

Die 16^a. Nulla rerum mutatio est.

Die 17^a. Febris parva, sitis exigua, capitis dolor nullus observantur.

Per tres dies symptomata mitiora sunt.

Die 21^a loco laudani liquidi, opii puri grana decem collutorio superaddimus.

Die 22^a. Lingua, ad naturalem quasi magnitudinem reacta, aliquem jam motum exercet. Parotidum etiam tumor ac dolor dissipati sunt. De sola debilitate aegra, nunc hilaris animi, conqueritur. Febris eam nulla tenet, clare ac distincte loquitur, foetor oris disparuit. Parum interim somni conceditur. Porriguntur hinc ad noctem laudani liquidi guttulae duodecim.

Die 23^a. Somno aegra bono gavisa est; lingua mollis, ac fere pura est. Decoctum amarum pro medicina praescribitur.

Resti-

Restitutis tandem, sub victu nutriente, viribus, aegra die mensis ejusdem 30^a dismissa fuit *).

Glossitis cum gangraena.

Summum quondam fœtorem, sub nosocomii *Viennensis* inspectione, in uno ex ejusdem cubiculis, aegrorum curae destinatis, percipientes, medicum istorum ordinarium, qui tantam atmosphaerae corruptionem toleraret, ex officii ratione compellavimus. At ille, praescriptam rerum aerisque puritatem religiose observari confirmans, nos ad lectulum aegri, qui cadaverosum hunc fœtorem ex *linguae gangraena* spargeret, conduxit. Vir, quem hic observas, inquit, scorbuto detentus, in typhum incidit, cuius praecipuum symptom*a glossitis* fuit. Ad apicem linguae scilicet suborta est inflammatio; quae paucorum spatio dierum, ac antequam hunc ad locum aeger, morti vicinus, deferretur, in sphacelum abiverat. Ac revera, mox linguam hujus viri quinquagenarii, ad duas tertias sui partes in tabum conversam,

*) Historiam conscripsit, ac aegrae adstitit alumnus Academiae, *Worobjewitsch*.

nigerrimam, cum horrore conspeximus. Hunc igitur aegrum, ne, tam saevam mephitim exhalans, sociis obesset, separatum ac amplum ad cubile deportari, ac ibidem, ob summa vitae, tam ex typho, quam imprimis ex instante vasorum linguae conspicuum profluvio cruento, discrimina, proprio chirurgo et custode mox instrui curavimus. Post triduum, a media nocte, sanguis, quo loco eschara gangraenosa separari incepit, primum non plurimus, viam sibi paravit. Interea chirurgus *secundarius*, de imposito sibi gravi officio minus sollicitus, lectulo se proprio commiserat, ac ter tia licet vice in auxilium, non sine instantis admonitione periculi, accersitus, stragula, donec fatale aegrum ex linguae vasis profluvium, die 20^a Septembris 1796, e vis rapuisse, deserere neglexit. Etsi vero nobis pro aegro, vel solum ob typhum gravissimum, scorbuto adsociatum, spei parum, aut nihil, adfulsisset; ac licet haemorrhagiae ex linguae gangraenosae vasis majoribus, profundo in oris antro, compescendae difficultas nos minime latuisset; chirurgus tamen, utpote de iis, quae tanto sub discrimine tentanda forent, probe instructus, ob

tam sancti neglectum officii, a nosodochio relegatus fuit.

E p i c r i s i s.

Ex quinque his *glossitidis*, expositis a nobis, exemplis, tum causarum, quae hunc morbum producunt, tum symptomatum, tum febris eundem comitantium diversitas, ac methodi medendi, huic ipsi adaptandae, ratio eluent. Tam ille ipsi, cuius in *Epitomes* L. II. §. 164. meminiimus, quam alii quatuor, quorum historiam hic tradidimus, subitaneae transpirationis interceptioni hanc adfectionem adscripserunt; atque sic, quemadmodum *cynanchis*, ita etiam *glossitidis*, scaturigo, quamvis longe rarius hujus ultimae, hoc ex fonte, prout eodem in opere §. 165. indicavimus, derivanda est. Aegram *Petropolitanam*, nicotianae tabaci e foliis hunc sibi morbum adscivisse, licet eorundem foliorum frequentior masticatio apud plurimos hunc effectum haud exserat, eo minus mirabimur: quod mulier haec debilis et cachectica, ob praegressas luis venereae rationes, frequentem mercurii usum fecerit, atque majorem sic longe oris sensibilitatem contraxerit. De inflammationibus, a vulnere, laesione, cor-

poribus peregrinis, ad linguam productis, sermonem hic, ut qui nobis tantum de *glossitide primaria* est, non instituimus. Ac prima quidem ex illis, quas descripsimus, *cattarrhalis* ea manifeste progeniei dicenda fuit. Ad secundam vero quod respicit, num ea de *cynanchis*, quam *externam*, seu *parotidaeam* vocavimus (Epitom. L. II. §. 174.) familia sit, eo magis dubitari licebit: tum quod eo ipso tempore, in quod haec glossitis incidit (A. 1792.), illa ipsa cynanche, *Ticini*, inter juniores, latissime regnaverit; tum quod submaxillares glandulae, non modo a primo febris impetu, ad extremum usque, volume augeri, dolere observatae sint; sed mobili, ac verba modulante jam lingua, tume-re continuaverint, ac demum in *abscessum* transiverint. In omnibus interim glossitidis conspectis a nobis exemplis, tum hae glandulae, tum sublinguales, ac in uno vel ipsae parotides, partem sibi symptomaticam sumserunt. Quodsi quis, parum in artis exercitio interesse dixerit, num *cynanchis externae* magis soboles, num idiopathicae naturae sit glossitis; replicabimus huic: in prima existis, quam, cum *Josepho Pratolungo* *), mor-

*) Vid. *Burserii Institut. med. pract.* Vol. III. p. 275.

bis nunc magis *exanthematicis*, quam *inflammationibus* subjugare vellemus, raro tantam venaesectionum necessitatem subintrare (Epitom. l. c. §. 180.), frequentius vero has, ob faciles metastases, esse noxias Quod interim eam, quam secundo loco descripsimus, glossitidem, cynanchi parotidaeae haud fuisse adfinem, nos credere inducit, *suppuratio* est, quae raro in hac ipsa, nisi forsitan ex aure, contingit. In duobus autem ex adductis hic exemplis, *abcessus*, et ab aliis descriptus, secutus est: quorum ultimus, nisi prudens medicus illico cum sanguinis missione periculum evitasset, antequam ille rumperetur, aegram, jam stertorosam, suffocasset. Febrem vero nunc satis exiguum, nunc vere hypersthenicam, nunc autem typhoden, diversimode glossitidem circumdare, ac ideo venaesctionem nunc nullam, nunc saepius replicatam, hanc sibi exigere, ex adhibita felici, nunc blandiore, nunc deprimente, nunc vero incitante mendendi ratione jam satis elucet. Gangraenam, quae ultimo in aegro comparuit, cum *gloss-anthrace Sauvagesii* *), ut morbo bestiis do-

*) Nosolog. meth. T. IV. p. 360.

mesticis fere proprio, nil habuisse communem, supponimus.

Tumor et ulcus laryngis.

Rosa Gatta, ex *Siccomario*, rustica, annorum 46, antehac robusta, semper sanissima, firmique corporis habitus, per duos menses a tussi vexata fuit. A mense, gutturi superadditur dolor profundus, tussis fit asperior, sequuntur sputa admodum copiosa, puriformia, spirandi difficultas, aliquod in cibis ad ventriculum demittendis impedimentum, febricula. Remittunt haec; ast vero a quindecim diebus respiratio est difficillima, sonora, sibilosa, cum gutturis angustia pectorisque supremi oppressione peragenda. Febris interim vix ulla adest. Ructus foetidissimi ac vix tolerandi exploduntur. Alitus pertinaciter obstructa, magna cordis palpitatione, pervigilia continua. Aliquando cervice erecta lectoque insidens aegra, ob imminentem suffocationem, respirare cogitur. Post duos in nosocomio *Ticinensi* peractos dies, infelix mulier praefocata periit.

Sectio cadaveris.

Ad laryngis parietem posticum, qua arytenoideae cartilagines, inter ipsas membranas, abscessus detectus fuit, nucis avellanae magnitudinem aequans, cuius adhuc spectabilis est cavitas. Arytenoideae ipsae et earundem ligamenta, medio in abscessu haerentia; non nihil corrosa erant et consumta. Pulmones erant sanissimi.

Epiconcrisis.

Epitomes libro III. §. 173. p. 107. 108. de *cynanche laryngea* pauca quidem, sed quae potissime ad rem facerent, docuimus. Hanc doctrinam illustrat praesens morbi historia, quam viri egregii, *Joannis Defelici*, medici Ticinensis, ac nostri quondam auditoris, solertiae, sicut multa alia, debemus. Praeparatum, ut vocant, pathologicum hujus morbosi laryngis in museo *Ticinensi* expositum est. Exempla multa *pseudomembranarum*, superficie laryngis internae post inflammationem adhaerentium, — aliqua *polyporum*, natura sua his adfinium, *aphtarum*, *variolarum* hic residentium, pauciora, — carunculae, sarcomatis paucissima habentur. Ipsae, quibus cavum laryngis investitur, *membranae*,

a sero flavescente, tenaci interdum *tumuerunt*. *Ulcerā* quoque non tam raro has ipsas membranas atque cartilagines laryngis coroserunt. Cartilagineā cricoideam laryngis ex ulcere pōne destructam conspeximus anno 1793, in nosocomio *Ticinensi*, atque laryngem posterius suppuratum illinc in museo pathologico conservavimus. In clinico Instituto *Vindobonensi*, mense Maji, A. 1804, arytaenoidaeās cartilagines corrosas observavimus. *Ulcus* cancrosum laryngem interius erosit *). *Pus* ex albo cinereum et quasi pultaceum; in obturamenti modum formatum, laryngis cavum in virgine asthmatica, repentina morte ablata, obturaverat **). Nec *tumorū* ad laryngem exempla desunt. Glandulas laryngis apud proles, quarum parentes ex phthisi pulmonali perierant; obstructas ac tumidas reperiit celeberrimus *Portal*. In quibusdam phthisicis glandulae laryngis, sicut illae pulmonum, aegrotant, et partim tabem producunt, partim ab ista intumescunt. Ad pisi magnitudinem tumen-

*) Haec laryngis vitia collegerunt G. C. *Conradi*, Handbuch der pathol. Anatomie, S. 457. 8. F. G. *Voigert*, Handb. der pathol. Anatomie, II. B. S. 310. 311.

**) *Morgagni* de sed, et caus. morb. Ep. XV. n. 13.

tes vidit ille has glandulas, pluresque ex istis suppuratas cum ligamentis rimae glottidis, et ipsa epiglottide ac larynge erosionis *). Rariores vero tumores majores sunt, in cavo laryngis reperti. Morte tamen subitanea periit aeger ex *tumore scirrhoso* ad internam et posticam laryngis partem, ex praevia cynanche relicto **). Aeger cuius historiam recenset *Flormann* ***), jam ab aliquo tempore difficulter respiravit, deglutiit, tandem vero suffocatus periit. Ad laryngis partem posteriorem tumor detegebatur pure repletus, nucis juglandis magnitudinem referens. Fere totam posteriorem laryngis partem is occupabat, atque ad primam cartilaginem circularem tracheae pertingebat. Interius, tumor laryngem quasi obturabat, cartilago cricoidea erat erosa, pusque ipsum hoc foramine penetrans, internam laryngis membranam in tumorem elevaverat. Nec minorem sibi medicorum attentionem meretur tumoris supra descripti, ad laryngem in *abscessum* mutati historia. Hic etenim morbus, non ut cynanche laryngea, febrem acutissi-

*) Cours d'Anatomie médicale; T. IV.

**) *Smyth*, medica' Communicat. Vol. I. n. XXXI.

***) Schwedische Abhandlungen, XI. B.

mam accendit, ac etsi aequa lethalis, longiorum decursum agnovit. Dolor ille profundus, quem mulier, post tussin duorum mensium, alterum per mensem accusaverat, inflammationis non tam erysipelaceae, quam phlegmonodis, tussi, nunc asperiori, junctae, principium sistit. Sputa, quae nunc rejiciebantur, non tam purulenta, quam *puriformia*, et quidem *plurima*, fuerunt. „Tantum nempe puriformis humoris cogi in eum locum potuit, quod non modo glandulae sub ea tunica consitae, sed et ventriculorum caveae, in quas ea tunica se producit, tum ejuscemodi glandulae, tum inferius crus operiens glandularum arytaenoidaearum, eundem largiren-
tur *).“ Sed jamjam a tumore, angustia ac dyspnœa majores exortae fuerunt, nec non ipse oesophagus vicinus in cibis inferiora versus propellendis quidquam impeditus fuit. Quo tempore febris aliorumque symptomatum insecura est *remissio*: suppuratio tumoris jam absoluta erat; atque hoc sub statu, quindecim per dies respiratio laboriosa magis ac sonora, interdum sibilans, non rauca, ut simplici ac

*) Hanc explicationem jam dedit *Morgagni de casu virginis*, cuius larynx a pure in totum obturatus fuit.

l. c. Ep. XV. n. 14.

satis aperto in ulcere, successit. Tunc etiam aegra, magis ac antea, de laryngis angustia, pectorisque supremi oppressione, ab aeris scilicet, infra laryngis tumorem remoram patientis, columnna inducta, conquesta est. Ructuum, quibus antehac mulierem hanc subjectam fuisse credimus, nunc *foetidorum*, causam, nisi ex ventriculo symptomatice affecto ac cibos ingestos vix subigente, foetor ille venerit, in aere, sub transitu super abscessum ac erosas super cartilagines aritae-noidaeas, cum corruptis istarum exhalationibus recentius commisto, quaerendam esse putamus. Qui pulmones rodunt abscessus, ii longe non omnes foetorem sensibilem hali-tibus aegrorum communicant; alii vero odorem putridum, adstantibus intolerabilem, et vel ipsis aegris molestissimum, imprimis ho-ris matutinis, et post somnos quidquam pro-tractos exhalant. Tubercula pulmonum ul-cerosa; maxime antiqua, si, plurima, amplam satis istius visceris superficiem occupaverint, vel ubi, *sinuosa*, pus collectum diu-tius retinuerint, vel partem cartilagineam bronchiorum sibi vicinam simul in tabum in-festum commutaverint, hoc effectus maxime producunt. Quae vero laryngem, aut tra-

cheam, potissime superiorem, cum ardore ad fixum illorum locum constante, occupant, ulceræ: ea, utpote rimæ laryngis viciniora, mephitim, quasi minus ab aere dilutam, ac prorsus cadaverosam exspirant. Alvum in aegra, quæ parum cibi potusque assumvit, fuisse constipatam, minime mirabimur. Cordis autem palpitationes, vel sola respiratio- nis, vel circuli sanguinis per pulmones impe- dimenta, ut in ipsa pneumonia frequentissi- me observavimus, producunt. Erecta cervice in acutis respirari certe malum; sed in la- ryngis ac tracheæ morbis, imprimis ubi vox simul acutior et sonora, clangosa editur, nisi sputa copiosa, purulenta sequantur, prom- tissimo eventu lethale est. „Pessima eorum significatio, cum glutiunt, vocem quasi stran- gulati *).“

Cynanche laryngea, cum bronchiorum hy- drope acuto.

Mense Decembris 1787 virum juvenem ictericum, et aureo plane colore instructum, in clinicum Institutum *Ticinense* suscepimus. Febris autem hunc icterum comitata est, et

*) *Plintius, Hist. Nat. n. X, Sect. 5.*

rebellis hic per tres fere hebdomadas restiterat, dum simul, praevio exanthemate, quod scarlatinam miliformem fuisse suspicamus, et quod jam disparuerat, de faucium dolore conqueri aeger inciperet. Faucibus inspectis, videbantur eae, hinc inde quasi ulceribus obsessae. Deglutitio erat valde laboriosa; non tamen difficulter respirabat. Post tres dies aeger clinicum Institutum motu proprio deseruit, necdum a morbo liberatus. Post triginta horas, sub tempestate frigida et pluviosa, iterum ad nos defertur, sed cum summa difficultate respirans, cum voce rauca, nec tamen sonum metallicum edente. Deglutitio erat valde impedita; quietudo, anxietas tanta, ut quaestionibus propositis vix satisfaceret. Liquida pro potu assumta, per nares redibant. Pulsus erant pleniusculi, duri; facies ex flavo rubra, et a pristino habitu mutata. Venam tunc secuimus, et emplastrum vesicans laryngi adposuimus. Sanguis emissus tenax mox corium nobis obtulit cum lympha profunde flava, et linteam eidem immersum tingente. Sequente die, quae erat *quinta* cynanchis, extinctus est aeger.

Sectio cadaveris.

Quid ratione *icteri* observaverimus, alio loco, quo de hoc morbo sermo nobis erit, referemus; sed in thorace, uterque pulmo, ut in strangulatis solet, *infarctus* erat et lividus, cum sero cruento in sinistro pectoris cavo, et amurca cruenta pulmonem hujus antri obtegente. Pleura, cum tamen de nullo unquam dolore conquestus esset aeger, vel maxime inflammata reperiebatur. Pulmone hoc e thorace excisso, simulque bronchiali ramo majore cum eo resecto, magno cum impetu, et magna in copia ex hoc ultimo effluxit liquidum serosum, turbidum, subflavum, cui pelliculae exiguae albescentes, hinc a bile non tinctae, supernatabant. Sex vero circiter unciae et ultra hujus liquidi in cavum thoracis ex discesso ramo bronchiali effluerunt. Tracheam nunc per omnem longitudinem adperuimus, cum ipso larynge per medium sui dissecto. Illa quidem ubique rubebat admodum; laryngis vero superficies interna, a lympha coacta, puriformi obiecta fuit: qua demum abstersa, nulla huic subfuit exulceratio; sed rubra et tumida erant singula. Epiglottis, crassior longe, ad linguam erat retracta. Eadem puriformis ma-

teria universum faucium cavum obducebat.
Uvula crassa et longior. Palatum simili modo ipsaque linguae radix adfecta erant.

E p i c r i s i s.

Est haec observatio ea, cuius breviter meminimus in *Epitomes* libro II. §. 173. p. 106. ubi, de *cynanche laryngea* disserentes, monimus: „sub ista aliquando seri puriformis magnam copiam per tracheae ramos in pulmonem depluere, eosdem replere, — et magnam in vivente aegro dyspnœæ ac peri-pneumoniae symptomatum partem habere.“ Manifestum est copiosam illam in bronchiis unius lobi pulmonalis effusam materiam seroso puriformem, suffocationem aegri auxisse. Nec certe, cum tot cadavera mortuorum ex peripneumonia hominum, quorum tamen bronchia undique erant inflammata, dissecuerimus, nobis unquam tanta liquidi puriformis copia, cum tanto impetu, ex dissectis bronchiorum ramis cujuscunque diametri, obviam venit*). Membrana nulla laryngis

*) Obvenit vero paucis abhinc annis Auditori nostro, D. *Loefler*, in venditore rerum ad ornatum vel cultum elegantiorem spectantium, *Vindobonensi*, ex tracheae ac bronchiorum inflammatione promtissime defuncto. In utroque cavo thoracis continebantur aquae circiter li-

faciem internam obducebat; sed facile fuisse illam parari, si major morbi longitudo fuisset. Membranulae illae, et quasi carunculae, sese, probabili ratione, a larynge separaverant. Cynanches vero tunc *Ticini* nullae regnabant, et inexpectato hic morbus aegrum, triginta circiter annorum virum, jam antehac ictericum, invaserat. Vix dubium nobis haeret, scarlatinae sobolem fuisse hanc cynanchem, etsi aeger non nisi de papulis in cute rubris, non prurientibus, ac citius dispersis, locutus fuerit. Jam celebris *Cremonae* medicus, *Martinus Ghisi*, (quem, nobis amicum, insignem certe virum, jam octogenarium, A. 1794 nobis eruptum fuisse doluimus) epidemiam cynanchis laryngeae,

Cre-

brae octo. Ad pulmonem dextrum inflammationis superficialis vestigia comparebant, qua parte lobus ejus superior cum pleura cohaerebat. Pulmo sinister videbatur sanissimus. Ex trachea dissecata, sex vel octo unciae humoris rubelli, spumosi, qualem aeger antimortem tussiendo rejecerat, effluebant. Tunica tracheae interna inflammatâ erat, non tamen vasculis depicta, sed ruborem inflammatae intus arteriae praesens ferebat. Inflammatio descripta, ex trachea, per omnes bronchiorum ramos, quotquot adperiebantur, proserpebat; et compressis utrisque pulmonibus, humor ille spumosus copiose ex illis assurgebat. Nulla aut cordis, aut vasorum majorum, aut viscerum abdominalis vitia in conspectum veniebant.

Cremonae A. 1747, et 1748 regnante, de-scribens *), monuit; dissectis mortuorum ex hoc morbo bronchiis, quamplurimum humoris turbidi et albescens ex iisdem efflu-xisse. Simili ratione celeb. *Chambon*, ac *Fourcroy*, in cadaveribus hominum hoc a morbo enectorum, materiam puriformem in ultimis bronchiorum ramis, atque in vesiculis pulmonum (!) detexerunt **). Eandem ob-servationem *Mahonius*, in duobus infantibus, instituit ***). In casu nostro, inflammatio faucium manifeste cum illa laryngis et tra-cheae, quod rarius in cynanche laryngea contingit, incessit. Cum, antequam aeger ex clinico Instituto ad suos esset reversus, de nulla dyspnœa, de magno vero deglutitio-nis obstaculo, conquestus est; adparet hinc, illius statum a frigore humidaque tempestate sub morbo jam tam gravi susceptis, in ipsius demum laryngis et tracheae inflammatio-nem lethalem degenerasse; nullis tamen cy-nanchis ulcerosae vel gangraenosae *Fother-*

*) Lettere mediche. Cremona 1749. Longe prior hic Scriptor est *Homio*, qui suum de cynanche polyposa tractatum non ante annum 1764 edidit.

**) Mémoires de la Société R. de médecine, Vol. II, p. 206. sq.

***) L. c. Vol. IV. p. 81.

* *Frank inst. clin. I.*

gillii vestigiis ad fauces, tum a morbi principio, tum a morte comparentibus. In icterico homine venam non lubenter adperuimus; pulsuum interim plenitudo aliqua cum durtie, aetas juvenilis, et constitutio antehac vegeta, nec non inflammationis ad asperam arteriam haerentis symptomata, ne hoc auxilium omitteremus, nos induxit, Pleurae inflammationem absque ullo ad hanc partem dolore hoc in aegro latuisse, hoc mirum quidem, sed minime inauditum est (Epitom. lib. II. §. 187.).

Cynanche laryngea, cum ulcere et carie. }

Conradus Krudalewicz, famulus *Vilnensis*, 49 circiter annos numerans, robusta corporis compage donatus, devictis variolis et morbillis, praeter epistaxis non raram, quae jam ante duos annos cessavit, semper sanus, bacho vires sustentans, vixit. Ante quadriennium, dolore pungente pectoris cum tussicula febreque laborans, nosocomium fratrum misericordiae adivit, ubi venaesectione aliisque remediis sursum deorsumque evacuantibus post sex hebdomadas sanitatem obtinuit.

Anno 1805, mense Februario, die quādam ante bachanalia, dolor stringens laryngis, de die in diem auctus, cum voce rauca, dyspnœa, deglutitionis difficultate, tussi, et abundante muci, sub ista, rejectione, continuo aegrum, sine febre, ut refert, vexavit. Cum haec pertinacissime gargarismati domesticō, ex infuso salviae et sale prunellae parato, resisterent; die 9^a Martii mensis, idem iterum nosodochium aeger adivit, unde mox ad clinicum Institutum *Vilnense* delatus, ac publico examini submissus, sequentem morbi statūm exhibuit.

Caput sensusque omnes plena libertate gaudent, facies sani hominis; ad frontem tamen impetigo herpetica, late expansa, rubra, prominens, in crustas conversa, hinc inde cicatrices post se relinquens, a sex jam mensibus succrevit. Fauces, in quantum videre licuit, nullo modo affectae. Larynx sub attactu magis dolet, nullus tamen exterius tumor conspicitur. Vox rauca, vel potius aphonia observatur, hinc loquela perdifficilis. Sub inspiratione et exspiratione admodum molestis, aer vibrantem in larynge sonum edit. Tussis frequens, a larynge cum dolore ortum ducens, sub qua ingens

muci spumosi, fluidissimi copia, ad duas cum dimidia libras nycthemeri spatio ascendens, rejicitur. Deglutitio impedita, appetitus ciborum imminutus. Nulla circa pectus, vel abdomen incommoda notantur; alvus adperta, cutis mollis, calor et pulsus sani hominis.

Cataplasma emolliens loco dolenti, prius cum linimento volatili inuncto, imponitur.

Ad vesperas, levis febris, cum pulsu et calore aucto observatur. Sitis accusatur, ac sudor vaporosus per omne corpus sub nocte insequitur. Vapores ex decocto althaeae, ope spongiae ori admotae, frequentius inspirari jubentur.

Die 10^a. Febris imminuta, cutis minus humida, alvus a biduo non soluta est. Se- posito linimento volatili, cum unguento mercuriali, ad magnitudinem nucis avellanae, laryngis regio quotidie semel inungi jubetur; mane vero ac vespere, calomelas grana duo, cum magnesiae müriae viginti granis porrigenda, praescribuntur.

Ad vesperas aeger cynanchis symptomata quidquam imminui asserit; in pulsu tamen irritatio, sputorum vero eadem quantitas est:

et conditio. Melior tamen somnus subintrat, ac alvus bis solvitur.

Die 12^a. Dolor laryngis, tussis et copia sputorum minores sunt. Respiratio, deglutitio absolvuntur faciliter, pulsus interim frequentiores sunt. Vesicans emplastrum, ad cutis ruborem, laryngi imponitur. Frictio mercurialis circa vesicatorii plagam instituitur. Nox sequitur, ob summum capitis et laryngis dolorem, inquietissima. Respiratio magis sonora et difficilior fuit. Tussis frequentior, anima vero foetens est. Quantitas sputorum eadem, sed ea, quae per noctem conservantur, materiam purulentam, copiosam manifestant. Urina, *die 12^a* rubra, et sedimento lateritio instructa est.

Die 13^a. Noctem aeger insomnem transegit; dolor capitis et laryngis idem, sed respiratio difficilior est, et anima magis foetet. Tussis continua, aegrum fere suffocat. Sputa copiosa, cum abundante materia purulenta; pulsus contracti, febiles. De inferioris maxillae dolore aegrotus conqueritur. Gingivae tamen non rubent. Calomelas nunc suspenditur, continuantur vapores et unctio.

Nocte non dormivit. Doler capitis et la-

laryngis quidquam imminutus, tussis non tam frequens fuit.

Die 14^a. Muci quantitas imminuta, purulentae vero materiae in sputis copia major fuit. Respiratio, deglutitio faciliiores sunt. Continuantur pulveres ex calomela, vapores et unctio; vesicans emplastrum nuchae adponitur.

Die 15^a. Nocte melius dormivit; sed fœtor animae intolerabilis, debilitas major est.

Corticis peruviani decoctum cum infuso calami aromatici praescribitur.

Ad vesperas, symptomata mitiora sunt, faciliter aeger respirat ac deglutit. Dolor capitis et laryngis, nisi sub tussi, nullus.

Die 16^a. Elapsa nocte, sputa sub somno in larynge collecta, condensata, aegrum, cum aucto laryngis et capitis dolore, evigilant, ac tantum suffocationis metum aegrotant, ut per medium fere horam spiritum ducere vix potuerit. Anxius hinc et debilis, copiose miser sudavit. Tandem adplacito laryngi cataplasmate ac inspiratis iterum vaporibus, sputa cum levamine symptomatum cum tussi rejecta fuerunt. Pulsus debiles, frequentes sunt; urina rubra, sedimentum lateritium deponit.

Die 17^a. Dolor capitis, maxillæ inferiores, laryngis, magis urgetur. Gravior quoque et respirationis et deglutitionis difficultas est. Fœtor aeris exspirati major; tussis tamen rarior, et sputorum copia indies imminuitur. Pulsus frequens debilisque. Pau- culum aceti, decocto, ex quo vapores aeger inspirat, superadditur.

Die 18^a. Singula, ut heri, continuant; facies tamen magis cachectica, oris labia li- vescunt. Ob dolorem ad gingivas et maxilla- lam, calomelas, cuius grana viginti hucus- que adhibita fuerant, suspenditur.

Die 19^a. Omnia eodem modo procedunt. Fonticulus in regione laryngis, vesicatorii ope, excitatur.

Die 20^a. Idem rerum status est, deglu- titio facilius absolvitur.

Die 21^a meliorem aeger noctem transegit, dolor laryngis imminutus, respiratio minus molesta, sed sonora est. Anima fœtere con- tinuat. Tussis rarior, et sputa minore co- pia, cum materia purulenta, frustulisque membranaceis supernatantibus, rejecta esse videmus. Deglutitio facilior, capitis dolor idem, ille vero maxillæ inferioris cessavit. Labia, cum facie magis cachectica, lives-

cunt magis, corpus emaciatum, pulsus frequens est.

Die 22^a. Nihil in aegro mutatum est. Decocto corticis, loco infusi calami aromatici, elixir acidum *Halleri* superadditur.

Die 23^a. Nocte, dolor capitis et laryngis, cum tussi suffocativa, auctus, somnum omnem exclusit. Sputa purulenta cum frustulis membranaceis copiosis. Respiratio valde sonora, deglutitio difficilior. Pulsus minus frequens magisque elevatus.

Die 24^a. Praeter dicta symptomata urgenteria, sputorum copia mucosorum hodie aucta. Alvum aeger ter, sat liquidam, depositum. Seposto cortice, lichenis Islandici decoctum cum lacte propinatur.

Die 25^a. Ob summam respirationis difficultatem, ob tussim suffocantem, ob capitis laryngisque auctum dolorem, aeger somnum vix coeit. Alvum liquidam bis depositum. Sputa iterum copiosa, in fundo purulenta.

Die 26^a. Nox inquieta, cynanchis augmentur symptomata, tussis longa et quasi suffocans. Sputa copiosa, purulenta, cum sanguine non paucò rejiciuntur, pulsus frequens et debilis, alvus liquida. Ad vespe-

ras, sanguinis per tussim rejecti, copia major est.

Die 27^a. Noctem aeger insomnem transegit, summe debilis. Dolor capitis et laryngis continuo crescit. Respiratio sonora et difficillima, tussis longa, fere suffocans. Imminuitur iterum sputorum copia. Fœtor animae cadaverosus, aphonia perfecta est. Pulsuum augetur debilitas, alvus liquida, quater mota: aspectus aegri tristis, facies pallida, labia livida sunt. Decoctum althaeae cum syrupo diacodii, pro medicina, ac laryngis cum eodem decocto fomentatio praescribitur.

Die 28^a. Hora septima matutina, sub longissimo ad tussim nixu, aeger exspirat.

Sectio cadaveris.

De unica morbi sede certiores, in laryngem modo ac tracheam sub sectione cadaveris inquisivimus. His igitur adpertis, ulcus magnum ad cartilaginem thyreoidaeam circa rimam glottidis, pure condensato, albido, foetidissimo repletum, comparuit. Superficies hujus cartilaginis interna, corrosa, externa vero integra, sed nigerrima fuit. Cartilago cricoidea, anterius, a carie in inte-

grum consumta, cartilagines arytaenoideae cum epiglottide, intactae repertae fuerunt. Pars haec morbosa, museo pathologico, tunc saltem *Vilnae* erecto, commissa fuit *).

E p i c r i s i s.

Post ea, quae praecedentis observationis occasione adduximus, pauca nobis de casu praesente dicenda supersunt. Hoc interim primo hic adnotabimus: quod interea ac morbus vix descriptus aegro nostro fatalis fuit, cynanche laryngea, quam *polyposam, membranaceam* vocant, *Vilnae* inter infantes (quamplurimis, ob neglecta primis diebus auxilia exitialis) regnaverit. Adultos inter homines hunc morbum hic occurrisse, ad nostram saltem notitiam non venit. Ex primo quidem aegri, de quo agimus, aspectu, voce rauca, vix non deleta, et gravi frontis impetigine, ne causa syphilitica in vocis organa egisset, dubitavimus. Sed praeter id, quod nulla hujus indolis infectio apud illum praecessisset, ac fauces ipsae, quae certe in venebris ante laryngem multari solent, ulce-

*) Historiam hujus morbi diligentius conscripsit Auditor noster *Franciscus Puczkowski*, medicinae Magister *Vilnensis*.

rosae non essent; de praegressa, quam singula symptomata docebant, laryngis inflammatione haesitare non potuimus. Quam promptum vero aegris interitum, angustioris tubi laryngei incendium, nisi manu celerima deletum, praeparet, edocti; mirabamur utique, hoc idem, quod paucarum dierum spatio prolem teneram consumere consuevit, per tres jam hebdomadas hoc in viro, prius ac ad nos accederet, tam lente deflagrasse; et novum sic opinioni nostrae argumentum accessit: Cynanchem trachealem, laryngeam, infantibus saepe minus ob vias has, aeri, per pseudomembranas, occlusas, quam ob convulsiones, vi morbi pusionibus inducetas, et ob hydropem bronchiorum acutum, quo sese tam expedite, quam adulti, liberare vix queunt, tam cito esse lethalem. Ac revera, tanta fuit nostro in aegro sputorum tenuium, aquosorum quantitas, ut illa ex bronchiis, in quae per descensum distillaverant, venisse magis, quam in angusta laryngis fistula collecta fuisse, certum sit. His ipsis vero in sputis, *pseudomembranarum*, ante vigesimam et primam Martii diem, qua per quatuor jam hebdomadas morbus duraverat, nulla fuerunt vestigia; vel quod sedes in-

cendii prima in laryngis glandulis *mucosissimis* haeserit; vel quod non omnem laryngis, aut tracheae inflammationem necessario haec membranae polyposae comitantur; aut, si forsitan eae adfuerint, per tussim separari, expelli queant. Cum vero tarde nimis membranarum hoc in aegro rejectio comparuerit, earum frusta magis internae tunicae laryngis partem, quam pseudomembranas noviter formatas, exhibuisse, ex interna cartilaginis thyreoideae erosione, et ex sputorum tunc insigni corruptione, foetore, concludimus.

Quodsi generatim nulla nos, sub ingressu aegroti ad clinicum, in diagnosi dubia tenuerint; num tamen, post tres septimanas, quibus morbus jam duraverat, resolutioni adhuc locus foret, num vero suppuratione jam successisset, etsi, quod in votis est, id facilius speremus; de hoc tamen, ut ad venaesectionem generalem, vel saltem ad localem vasorem per hirudines depletionem veniremus, non satis certi esse potuimus. Ne vero simul mercurii usum intentatum relinquemeremus, sat frequens illius in hepatiti de adynamica, suppurationem adeo jamjam experta, virtus nos induxit; quamvis et hoc

auxilii genus, ob morbi **jam** nimis proiecti rationes, manu minus liberali, quam sub ejus initio fecissemus, adhibuerimus. Nec certe, dum a secunda mox die, qua aeger ad nos accesserat, post pauculam remissionem, jam anima fœteret, ac pus verum in sputis sat copiose subsideret, omissarum nos pœnituit hirudinum. Moderatum mercurii usum, quo ulceris maligni progressibus obveniremus, donec mandibulae dolor, tercia jam die, cautos nos redderet, continuavimus; iterumque ad eundem, cum hic dolor minus a remedio venisse videretur, per dies aliquot reversi sumus. Aucta interim cariei, ac devastationis ad laryngem symptomata, mercurio seposito, nos, spe certe nulla instructos, ad corticem nihilominus confugere coegit. Respirationis tamen aucta indies difficultas, labiorum livor, sputorum diminutio, sanguinis e larynge profluvium, diarrhoea, et hujus usum remedii excluserunt, et victimas tandem morbo manus tendere jussérunt.

Cynanche faucium ulcerosa, in tracheitidem conversa.

Periit *Vindobonae* filia quadriennis viri conspicui, quae die 5 Augusti mensis 1797 febricitare inceperat; die 5^a sine febre fuisse dicitur; die 7^a de tumore externo utraque in parte colli dolente conquesta est, libere tamen deglutiit; conspexit tunc medicus quasi ulcus in faucibus, quod cancerosum (chancre) appellavit. Die 8^a nulla periculi idea subintravit, atque puella haec neque faucibus inflammata dicebatur; nec ullo cum labore cibos potumque deglutiit. Die 9^a, praeter omnem opinionem, animam efflavit misella.

Ut mortis hujus improvisae occasio per cadaveris sectionem illustrari voluisset, prae omnibus sane optandum, eoque magis necessarium fuisset: quod reliquis illustris hujus familiae prolibus simile forsitan fatum imminiebat. Posthabito interim tam tristi melioris diagnosis apud alios subsidio, reliquis sibi prolibus mater anxia, mox a morte filiae, pulvere in rhabarbari, fine prophylactico sumendum, exhibuit.

Die 12^a mensis ejusdem, ad sexennem puellam, defunctae prolis sororem, accersiti,

Eandem heri ad noctem absque praegresso horrore incaluisse, omnemque per noctem febricitasse, experimur. Aliquem ea hodie, in colli parte sinistra, tumorem, non quidem rubrum, sed tamen sub deglutitione dolentem, nobis offert. Cum interim ut biberet aegra jussissemus, potum ea per fauces transmisit, quin doloris signum vel minimum prodidisset. Fauces nihilominus a nobis perlustratae, rubent quidquam ac satis intumescent. Pulsuum frequentia, sana quidquam major est, calor vero naturalem haud superat. Linimentum volatile tumor iungendum, aquam vero sambuci cum aceto ammoniacali pro usu interno praescribimus.

Versus noctem aegra placide se habuit, de fame conquesta, ac somno gavisa est.

Die 13^a mane. Tumor ad jugulum auctus, tres circiter glandulas lymphaticas, circa angulum maxillae sinistrum magis tumentes, ab attactu dolentes, non tamen rubras, manifesta. Adpertis faucibus ac lingua depressa, utramque tonsillam tumentem, in sinistra maculam subalbam, quasi pure obtectam, fauces levi phlogosi correptas, conspicimus. Absque dolore interim bibit, hilaris est aegra, et de fame conqueritur. Pul-

sus tamen hesterno frequentior est, ac debilis. Respiratio libera, nec tussis ulla se prodit. Praeter hesterna remedia, aquam sambuci cum syrupo mororum, et pauxillo acidii muriatichi, quibus fauces blande ac frequentius obliniantur, praescribimus.

Versus tertiam pomeridianam augetur, absque praegresso horrore, febris. Modo genua et crura dolere asseruntur. Calor autem sensim ita augetur, ut versus noctem et magnus esset ac urens digitos, cum pulsu celere ac satis inaequali. Somnolenta nunc est aegra, respiratio non est difficilis. Etsi vero fauces magis nunc tumere, ac adeo livescere videantur, macula etiam ad tonsillam albescens oculis se offerat; de nullo tamen sub deglutitione dolore aegra conqueritur, tumorque ad jugulum minor est. Cataplasma huic anodynū imponitur; cum vero faucibus quidquam retinere easque fovere recuset aegra: syrupum mororum, cum acido sulphurico ad gratam aciditatem remistum, frequentius lambendum ei offerimus. Infusum quoque radicis serpentariae virginianae, cum corticis peruviani extracto, et syrupo corticis ejusdem, praescribitur. Plantis pedum sinapismi admoventur.

Die

Die 14^a. Soporosa jacuit aegra per noctem, et sudavit. Calor hodie longe minor, pulsus minus febriles sunt. Fauces ac utraque amygdala tument, profunde rubent, ac sinistram ad tonsillam quasi ulcus albescens haerere observatur. Tumor externus in sinistra parte maxillae minor; sed similis hodie tumor ad angulum dextrum maxillae, infra aurem, ad glandulas lymphaticas succrevit, quin tamen ullus rubor externus compareat. A compressione tumorum dolor excitatur. Quater aegra hoc mane, quoties medicinam assumpsit, ex nausea, ut videtur, vomitum est passa. Alvum depositus; ac satis placide tempus ludendo terit.

Continuatur syrpus cum acido sulphurico. Praescribitur decoctum chiae cum aquae cinnamomi vinosae et syrapi corticis peruviani portione. Sic et clyster ex eodem cortice paratus, cui camphorae grana decem miscebantur, bis in die injiciendus, insimul vero duo sinapismi replicandi suadentur.

Ad noctem, pauca exacerbatio. Nec deliria hucusque, nec tendinum subsultus, nec ad cutem exanthema comparuerunt.

Die 15^a. Quietam omnino noctem transegit aegra, alvumque ter depositus pultaceam.

Ludentem illam ac hilarem reperimus. Pulsus minus frequentes satisque elevati sunt. Calor sano similis. Faucium tumor minor, utraque tamen in tonsilla macula haeret ex albo flavidiuscula, suppurationem mentiens. Fames hesterna minor.

Die 16^a. Dormivit hac nocte, non vero sudavit; Tussitat subinde. Pulsus a naturali parum abludit. Respiratio, deglutitio sunt liberae. Fauces minus tument. Tonsillarum maculae in conspectum non veniunt. Tumor externus adhuc aliquis, ab attactu parum dolens. Sub die tussiit hinc inde aegra, et sub tussi, de dolore, non ad fauces, sed ad sternum conqueritur. Ad noctem aliquod febris augmentum observatur.

Die 17^a. Febris remittit. Tussis rara, sed cum pectoris dolore incedit, respiratione tamen libera. Fauces minus turgidae, minusque rubrae, maculae ad tonsillas nullae. Continuantur praescripta.

Notari meretur, hac ipsa die et coquam hujus familiae a cynanche, cum typho incedente, fuisse correptam.

Ad noctem, minor in aegra nostra, quam heri, exacerbatio.

Die 18^a. Febris pauca, tussis aliqua.

cum dolore thoracis. Ludit et hilaris est puella.

Die 19^a. Tota nocte dormivit aegra, hodie mane, praeter tussin, dolorem ad pectus et aliquem a pressione ad angulos maxillae, de nihilo conqueritur.

Die 20^a. Eodem tramite res continuat. Lectulum aegra per horas aliquot deserit.

Die 21^a. Eadem, ad horas matutinas, rerum est positio. Ad vesperas autem febrem reperimus violentam, tussim stridulam, sub qua in ipsa trachea et faucibus aegra dolorem caloremque accusat. Potum tepidum, vesicans ad nucham, interne vero radicis Polygalae Senekae decoctum, cum paucis granis camphorae solutae, consulimus.

Die 22^a. Nox inquieta, tussis frequens fuit. Sudor nunc aliquis. Tussis frequens cum strepitu ad fauces, et stridula. Sputa interim rejiciuntur sat multa, subrubra, respiratione non laesa. Pulsus sunt exigui. Laeti interim animi est parvula, lusibus suis intenta, cibosque adpetens.

Ad vesperas, pulsus sunt exiles filiformes, moderate tamen frequentes. Facies

pallescit. Alvum aegra, primum pultaceam, postea liquidam excrevit.

Nox sequitur valde inquieta: tussis fere continua; cum dolore ad asperam arteriam, cum suffocationis sensu, et cum vomitu bis repetito. Calor corporis major.

Die 23^a. Febris calorque moderate satis incedunt: sed tam atrox, nobis praesentibus, tussis est, ut anima in faucibus haere-re videretur. Sputa pauca sunt, Linimentum volatile cum camphora tracheae illiniri, ac vesicans nuchae adponi jubemus. Ser-pentariae radicis infusum et clysteres ex camphora repetimus.

Ad vesperas minor est febris exacerbatio.

Die 24^a. Mitius incedunt symptomata: febris minor, respiratio libera. Vox interim penitus suppressa est, tussis adhuc frequens, ac dolor sub ea circa tracheam accusatur.

Diebus 25^a et 26^a. Nulla in pejus muta-tio, febris pauca, calor fere naturalis fuit. Raucitas cum tussi continuat.

Diebus 27^a et 28^a. Febris fere nulla, vox clarior; redit somnus, ciborum viget deside-rium. Ultima hac die fili sanguinis aliquot cum muco per tussin rejiciuntur. Mox ab-

hinc tracheae dolor major accusatur, brevi tamen tempore sopiendus.

Sic sensim sensimque, non sine phthiseos timore, morbus disparuit. Redibat enim hinc inde thoracis dolor; tussis aderat cum sputis admodum copiosis, mucosis, flavescentibus; vox nequam sonora fuit, sudores hinc inde nocturni fluebant; pulsus semper quidquam, imprimis circa vesperas, frequenter erant, facie interea pallida atque tumidula. Corticis peruviani et lichenis islandici decoctum cum lacte praescribimus. Sub finem Septembris, morbo jam in melius vergente, levis quidem, sed pruriens admodum *urticaria* in cutis superficie comparuit, et sanitas pristina restituta fuit.

E p i c r i s s .

Nisi funus sororis, eodem malo correptae, praeter medici parentumque opinionem praecessisset; tanti quidem ponderis puellæ nostræ morbus, cuius hic descriptionem extensam traderemus, non esset. Habuit tamen et iste, quae medicorum attentionem sibi asciscant, non communia phœnomena. Sororem aegrae, quinta morbi die alterius medici sub cura defunctam, ex *cynanche ulce-*

rosa, vel *gangraenosa*, quam in *Epitomes* L. III.
 §. 296. descripsimus, periisse, dubium nobis
 superesse non potuit. Cum vero *scarlatina*
 nec defunctam infantem, nec aegram no-
 stram tenuerit: patet, nos in eo quondam,
 quod dictam *cynanchen malignam* *soli scarla-*
tinae adscripserimus, l. c. §§. 175. 296. etsi
 haec quidem causa inter omnes communissi-
 ma sit, a vero aberrasse. Atque sors ini-
 qua defunctae jam sororis, quam insidioso
 cum hoste nobis luctandum foret, vel sola
 nos jam satis advertit; nec aegrae, dum fe-
 bris vel quidquam remitteret, hilaritas, nec
 prona ejus in lusus infantiles dispositio, istius
 scilicet apud parvulos, vel gravissimis ac le-
 thalibus adeo aliquando in morbis bene me-
 more, ad arma, cum fiducia majore quam
 par est, deponenda nos induxit. Ac primo
 quidem, morbus sub *cynanchis*, quam *exter-*
nam seu parotidaeum vocavimus (*Epitomes* L.
 II. §. 174.) larva comparuit; sed macula al-
 bescens, ulcerosa, quiae, praeter tumores
 parotidum, *cynanchi* etiam malignae inter-
 dum communes (*Epit. L. III. §. 296. p. 81.*),
 modo tertia morbi die in defunctae sororis
 fauibus comparuerat; ea, nostra in aegra,
 secundo jam nycthemero tonsillam infecit,

et facilem morbi, sub dolosa symptomatum blandiorum imagine, prout solent malignae incedentis, lethalitatem praedixit. Nec tamen, secundo, dum infidae morbum indolis tractandum suscepimus, eundem semper et ubique eadem cum ferocia incedere, *Swietenii* observatione suffulti, credidimus: qui scilicet speciem *cynanchis ulcerosae* descripsit, quae licet acriter satis partes dolorent; sat facilem nihilominus sanationem admisit *). Ac revera, in morbo hic descripto, nec deliria, nec tendinum subsultus, nec petechiae, aut alia altioris indaginis symptomata, medentis animum, sola tantum mortis, in altera puella absque signis terrificis insecuratae idea commotum, feriebant. Ne tamen unquam cum tanto proditore se quietum satis esse credit, aegra nostra exemplo erit: ut quae, cum *decima* morbi die convalescere est visa, ad noctem ejusdem, secundam in febrem, aperte nunc furientem, et *tracheitidis* symptomatibus junctam, relapsa est. Cum ratione hinc alibi jam diximus: „non solam faucium *chynanchen*, sed et *trachealem* non raro cum gangraenosa exulceratione incedere“ (*Epitomes* lib. II. §. 175.). Talem

*) Commentar. T. II. §. 811. p. 683.

nimirum cynanchen epidemicam fuisse censendum est, quam *Cortesius* in Sicilia, et *Severinus* Neapoli viderunt *); ac licet nostra in aegra eousque res non venerit; dolor tamen acutus et ardens in aspera arteria, cum febre violenta, tussi frequente, stridula, cum sputis, altera die, copiosis, subrubris, et cum suffocationis, non tam a pulmonibus, quam a trachea oriundae, sensu, morbi sedem tunc mutatam, ac phlogosin malignam a faucibus hanc aereum ad fistulam principalem, aut gangraenae, aut strangulationis sub discrimine, conversam fuisse, testatur. *Urticariae* levioris exanthema, quod sub fine mensis Septembris et morbo principali jam superato accessit, nullam cum isto connexionem habuisse, et ex facili hac in aetate refrigerio venisse videtur.

Scirrhus glandulae thyreoideae lethalis.

Andraeanna Savini, loci S. Giorgio-Lumellina, annorum 58, gracilis quidem corpore, sed sana semper fuit. Circa dimidium Septembris a. 1790, sensit haec mulier colli

*) *M. A. Severini*, tractatus de pestilente et praefocante pueros abscessu; Neapoli 1620.

partem anteriorem sibi intumescere, ita ut paucos post dies tumor sat notabilis hanc partem occuparet, et faemina de hoc novo sui gutturis, strumoso, ut putabat, orname-
mento rideret. Vix autem emensum erat trium mensium intervallum, cum examini commissus, tumor adparuit *scirrhosus* glan-
dulae thyreoideae, sinistrorum ovi gallina-
cei volumen offerens, complanatus in medio, iterumque dextrorum, licet minus, assur-
gens. Durus nempe hic tumor erat, indo-
lenis, inaequalis, atque tracheae non minus,
quam laryngi firmiter omnino adhaerebat.
Dextra imprimis portio compressa, tussin
excitabat, qua faemina vexabatur nonnun-
quam. Cataplasma nunc ex foliis cicutae vi-
rosae, et malva, tepidum admovetur; sed
nullum ex eo levamen aegra retulit. Post
aliquot hebdomadas, ob suffocationis instan-
tis metum, paucae sanguinis unciae detra-
huntur, unde fuit insigniter sublevata. Tu-
mor hic jam summopere increverat, cum
die 10 Januarii 1791 admodum anxia reddi-
tur mulier. Decubitus supinus impossibilis,
aegram, ut in lecto, capite retroflexo, se-
deret, coegit. Respiratio, tum inspirando,
tum exspirando, sibilosa est. Sudores nunc

frigidi viscidique, nunc calidi fluunt. Pul-
sus lenti sunt, ac debiles. Post sex horas,
aegra sibi quasi iterum restituitur, atque
erecta, diem mensis undecimum transigit.
Vespere a simili orthopnœa invaditur, quae
ad medium noctem denuo lenitur, oborta
aliqua cephalalgia cum tussi ac sputis san-
guinolentis. Per tres tunc dies quieta man-
sit mulier; verum die decima quinta, novo
ea corripitur insultu. Ab hac die usque ad
vigesimam, variae quietis et anxietatis vicis-
situdines locum habent, sputo tamen non am-
plius cruento. Diebus 21^a et 22^a, lipothy-
miae sese manifestant, et sudores frigidi
cum suffocationis metu. Die 23^a liberior est
respiratio; ast sequente die, ad meridiem,
simili aegra correpta insultu, post paucas ho-
ras ea, quasi strangulata, obivit.

Sectio cadaveris.

Integumentis cervicis, musculisque ster-
nomastoideis, sternothyreoideis et sterno-
hyoideis, qui molem sibi subjectam strictius
compresserant, incisis, tumor sese eleva-
vit scirrhosus, laryngi, tracheae, ipsique,
cum multis propaginibus membranosis, oeso-
phago, circumcirca strictissime adhaerens.
Vasa hujus diametrum sibi ordinariam qua-

druplo superabant. In ipso tracheae tubo, immediate infra primos illius annulos ac sinistrorum, tumor durus in conspectum venit, magnitudinem fabae mediocris referens, per quem tracheae diameter summopere arctabatur. Cœterae partes corporis morbos nihil offerebant.

E p i c r i s i s.

Hæc partes vitiosas, insimul cum morbi lethalis historia, nobis, pro museo pathologico *Ticinensi*, in quo eaedem expositæ fuerunt, transmisit egregius auditor quondam noster, *Dominicus Majocchi*, M. D. Omnis quidem *struma*, successu temporis, aut ab externis injuriis, scirrhosam induere indolem potest; sed *scirrhi* ad glandulam thyreoidam aliquando nascentur, qui de *struma* ne hilum quidem participant. Talis ille, de quo hic agitur, scirrus fuit, in eo tamen, sua in genesi, a plerisque scirrhis diversus, quod quatuor mensium spatio, ad dictam magnitudinem ac duritiam increverit, ac mortem tam cito, sine alio, quam compressionis externæ, obturationis vero internæ ad tracheam, symptomate, induxit. Scirhorum exigua saepe ac tarda sunt principia,

illorum vero incrementum in partibus **imprimis** laxis, praecipue ad ubera, accedente animi apud aegras depressione ac diurna mœstitia celerrimum esse consuevit. Nulla tamen hujus causae apud aegram nostram fit mentio. Quodsi vero *internus*, qui ad tracheam haerebat, tumor non simul subfuisset; tardiorem certe hoc malum progressum habuisse, ut quod majoris longe voluminis, scirrus thyreoideam ad glandulam per annos saepe tam lugubres effectus non agnoscat. Asperam arteriam *Soemmeringius* a struma praegrandi penitus compressam, et circulos illius cartilaginosos vix non fractos, seu inflexos reperiit *); quo in casu, haud prorsus raro, major sane ab externis tracheae angustatio, quam in relato mulieris exemplo, fuit. Cum etiam, sub ampliore ejusmodi tumore, œsophagus plerumque simul compressus sit; mirabimur sane, quod, etsi tumor ille cum isto concreverit, ac sinistrosum magis luxuriaverit; nulla tamen in deglutiendis exculentis difficultas hic occurrit. Nec minus mirabimur vasorum diametrum, quae sub lentis partium intumescentiis, plerumque simul augetur, pau-

*) Baillie Anatomie des krankhaften Baues; S. 49.

corum etiam intervallo mensium non minus quadruplo fuisse adiunctam. Ex hac vasorum dilatatione, ad interna forsitan non minus extensa, sub tantis respirationis nixibus, sanguis utique vas unum alterumve deserere, ac in cavum tracheae deflectere potuit; nec aliter, dum a majore strumarum extensione, venae jugulares compressae, quo minus cruentem a capite revehant, arcentur. sanguis ad cerebrum collectus, effusus, morbum apoplecticum inducit. Coeterum, frequenter in glandulis bronchialibus, trachealibus, obstruktiones, et conspicuae magnitudinis tumores nascuntur, quos venae varicosae supercandunt, et abinde compressae, sanguinem, aut, iniquo minus eventu, in bronchia, tracheam, aut, cum phthiseos periculo, in ipsam pulmonum substantiam eructant. Saepe nimis hi tumores glandulosi inflammantur, tussim siccum, febrem lentam, maciem, ac tabis pulmonalis ulcerosae lethalia symptomata inducunt *). Internam tracheae, per duos pollices et ultra coarctatae, substantiam, sana crassiorum, a parvis nodulis

*) *Portal* mém. de l'acad. R. des Sciences. Paris 1780.
und Cours d'Anatomie médicale.

occupatam, *Baillieus* *), — similesque nodulos per tracheam dispersos, *Lieutaudius* **) recensuerunt.

Febris continua nervosa, phricodes veterum?

Victorius Gandini, vir quadragenarius male nutritus, nimiisque laboribus assidue obru-
tus, plures jam peripneumonias, in clinico
Instituto *Ticinensi* feliciter pertractatas, pas-
sus, vix ineunte Martio 1794, sensum levis
horroris percepit, vagis intermisti caloribus.
Accedit tussis, coryza, et ponderis, maxi-
me ad sinus frontales, sensatio. Posthinc
vero lassitudine corripitur spontanea, tri-
stitia, morositate animi, et artuum gravita-
te praecipue. Subsequuntur oscitatio con-
tinua, suspiria hinc inde, somnolentia, stu-
piditas, ut, quid sibi velit, vel optet, aeger
ignoret; vix ullum ciborum superest desi-
derium. Nec tamen ideo lectulum petit mi-
ser, sed cum morbo luctatur per vias; do-
nec die 8^a mensis ejusdem, horror in verum
frigus commutetur, nec tunc temporis, nec

*) Anatomie des krankhaften Baues, S. 48.

**) Hist. anat. med. Lib. I. Obs. 8. Lib. II. Sect. I. Obs. 7.

unquam ab ullo calore excipiendum. *Alter*
die, nulla prorsus conceditur remissio; con-
 tinuo crescit virium jactura. Aurium quo-
 que superadditur susurrus; lumborum dolo-
 res, respiratio difficilis accedunt; alvus plu-
 ries per diem, fluida, et inscio aegro, laxa-
 tur. Tandem hic, mōrbo magis magisque
 ingravescente, *die II^a* mensis, ad idem, quod
 vitam jam pluries servaverat, institutum
 clinicum defertur. En, quot hic nobis por-
 tendat pericula!

Debilitas universalis, extrema, conspi-
 tur. Facies morbi gravitatem denunciat,
 ad latera nasi pallescens, subflava; aurium
 susurrus, oculi mōesti, lemis hinc inde ob-
 ducti, somnolentia notantur. Labia quid-
 quam livescunt; respiratio difficilis, nullus
 tamen ad thoracem dolor, tussis nulla est.
 Lingua humida, albescens, exigua oris ama-
 rities, alvus duodecies, aegro inscio, solu-
 ta, fluida, viridescens, cum tenesmo ven-
 trisque aliquot torminibus sociata, calor cu-
 tis sano certe minor, nec tamen interna val-
 dopere urens, observantur; perpetuae inte-
 rim ab aegro, a morbi principio hanc usque
 in diem, de frigore querelae moventur. Pul-

sus ad carpum dextrum, nulli, ad sinistrum vero filiformes, exilissimi tanguntur.

Praescribuntur sequentia:

Vini Malacensis unciae novem, capiat tertiam partem omni bihorio.

ix. Camphorae mucilagine gummi arab.
solutae drachm. i.

Decoct. Cort. peruv. unc. ix.

Extracti Cort. ejusd. unc. semis.

Laud. liquid. Syd. guttas xx.

Syrup. Cort. peruv. unc. i.

Capiat alternatim cum vino vasculum dimidium.

Extremitates involvuntur pannis laneis, infuso herbarum aromaticarum vinoso imbutis.

Vespere, stupiditas, somnolentia continuant, subdelirat aeger interdum; frigus eum divexat continuum. Medicinam cum vomitu rejicit; diarrhoea pergit. Sibi ipsi quidem aeger, se melius habere persuadet; virium interim jactura de hora in horam augetur; animam ore hiante ducit; subsiliunt tendines hinc inde; pulsus pariter nullo modo persentiri queunt.

Ponuntur vesicantia; vinum Malacense, fomentationes aromaticae continuantur; aether

aether sulphuricus cum aqua cinnamomi; laudano liquido saepius porrigitur.

Nocte interim sequente, fluxu alvi ad-aucto, medicina per vomitum rejecta, deliria crescunt, ac finis vitae miserae imponitur *).

E p i c r i s i s.

Acutissimus hic morbus, *continuis* quidem febribus, quas *nervosas* appellavimus (*Epit. L. I. §. 87.*), adnumerandus, cum ea tamen *intermittentium perniciosarum*, quas *algidas* dicimus, aut quas Veteres *phricodes* vocabant, symptomatum ratione, affinis est. In *algida* nempe febre, „omnis affectio in *rigore* consistit: ita ut nec pulsus elevetur, nec calor invadat, atque ubi post aliquot etiam horas aeger adhucdum in paroxysmi principio hærere videtur; ubi sitis summa, anxietas, suspiria, et facies cadaverosa advertuntur.“ Sic etiam in Veterum *phricode*, „vel primo paroxymo aeger mortem subibat; vel post sat longum tempus paululum iterum incalescebat, pulsus parum elevabatur, quin tamen multo frequentior evaderet, quam in sani-

*) Adstitit aegro, ac historiam conscripsit *Angelus Batladori.*

tate esse consueverat. Oppressus adhuc aliquomodo, et calor moderatus videbatur, lingua quidquam aspera erat, urina copiosa, tenuis, aquosa, vel parca et obscura. Credebatur aeger jam in apyrexia constitutus; moriebatur tamen, ubi symptomata fuerant vehementia, jam saepe sub secundo paroxysmo.“ Sic anno 1770 ad civem *Rastadiensem* accersiti fuimus, qui, aetate quinquaginta circiter annorum, corpore firmus ac sati crassus, vel optima semper valetudine gavisus erat. Hunc, praeter causas sibi cognitas, de nocte frigus summum invadit, quod nec fatus calidi, nec juscula fervida per horas moderari queunt. Hora decima matutina, aegrum conspicimus, marmoreo prorsus frigore prehensum, summe anxium, inquietum. Oculi fuerunt moesti, facies mutata et sibi dissimilis, pulsus filiformes, vix tactu percipiendi, lingua interim madida, pura, amaror oris nullus, nullus aut vomitus aut vomendi conatus, abdomen molle ac indolens. Vitalis potissimum indicationis rationem habentes, volatilia, liquorem cornu cervi, tincturam castorei cum infusis dia-phnoicis, frictiones cum pannis laneis calefactis, fomenta aromatica praescribimus.

Seniorum consilium medicorum expetimus.
Conspirant istorum cum nostris conamina;
ast aeger, quin ullus unquam calor accessis-
set, eo ipso sub frigore, quatuor circiter post
horas, ac primo igitur nycthemero, exstin-
ctus fuit.

Morbus vero, cuius occasione haec re-
ferimus, catharrhalia primum symptomata;
coryzam, tussim, horrores caloribus inter-
mistos, artuum lassitudinem, per sex circi-
ter dies, antequam frigus illud magnum, per
quatuor dies et ad mortem usque, sine qua-
vis intermissione, extensem, accederet, of-
ferebat; nec alvi illud profluvium aquosum,
tenue ac viridescens, alienam a catharrho
intestinorum indolem agnovisse videbatur.
Atque hanc nobis *febris catarrhalis malignae*
ideam revocant, cuius imaginem varii, sub
aevi elapsi principio, Scriptores, diversis in-
terim coloribus, depingunt. Quodsi susci-
pio multorum de latente hic contagio, cada-
veris sectionem admisisset; colluviei forsi-
tan seroso-lymphaticae (ut ex prima ponde-
ris ad sinus frontales sensatione, ex tardio-
ribus sphyncteris ani resolutione, somnolen-
tia, stupore, delirio, vomitu, conjicimus)
super ipso cerebro, cerebello, collectio, tam

lethalium symptomatum nobis rationem redidisset.

Vesica urinalis laceriosa.

Presbyter septuagenarius *Genuensis*, gulae vitiis perdeditus, succiplenus, alvi constipationibus frequenter subjectus, anno 1788 de ventriculi incommodis conquestus, singultu imprimis hinc inde, quin id eundem vel auram liberiorem petere, vel sua munia per urbem obire impediret, vexatur. Praeter ista, tumor circumscrip^tus cum tensione regionem hypogastricam, sub anni 1786 principio occupavit. A febre aeger, etsi venam illi secuerint, alvumque pluries purgaverint, quadraginta per dies extensa corripitur. Post istam, pristina redeunt circa ventriculum symptomata, et in usu evacuantium persistit. Mense Octobris ejusdem anni, febris nova, tertianae quasi typum observans, accedit. Explorato abdomen, praeter dictum in hypogastrio tumorem, duabus digitis supra umbilicum hernia ventralis detegitur. Pulsus non febriles quidem, sed debiles sunt. Singultus interdnm augetur. Urinam aeger frequentius deponit; sub ejusdem vero ex-

cretione, ardor ac difficultas se produnt. Lotium sat multum bonique coloris est. Cum interim vesica ipsa tumoris in hypogastrio causa esse videretur, catheter huic nihilo minus immissus, et hujus ope sex circiter urinae turbidissimae ac fœtentis librae extractae fuerunt. Hoc praestito, aeger sese sublevatum esse refert. Enema nunc prescriptum fuit, quod cum post horas aliquot per alvum evacuaret, convulsus aeger animam simul reddidit.

Sectio cadaveris.

Aperto cadavere, ventriculus cum duodenō intestino inflammatus comparuit. Tam in illo, quam ad istud, tunica villosa deficere videbatur. Hernia ventralis ab omento ac intestino jejuno, cuius ultimi portio simul inflammata est, formabatur. Cum vero in cadavere, ante sectionem, duae herniae inguinales, de quibus mentionem aeger nunquam injecerat, in conspectum venissent; pars quoque ilei intestini inflammationis vestigia exhibuit. Ast vero maxima degeneratio in *vesica* reperta fuit. Duritiem nempe haec magnam subiverat; glandula vero prosta fuit praetumida. Externa vesicae fa-

cies valde inflammata, interna vero, tunicis sic dictis tum villosa, tum nervosa destituta videbantur. Tunica hujus visceris musculosa, crassitie multum aucta fuit, ad partem internam fibrarum muscularium fasciculi valde distincti, sed suam ob albedinem, quasi tendinosi comparebant. Diversae fibrarum harum intersectiones, secundum varias earundem directiones ab anatomis descriptas, aperte hic intuentum in oculos cadebant, et loca intermedia seu lemisci (maglia, Masche), qui in statu valetudinis a textu celluloso occupantur atque repletur, erant vacui. Interna vero superficies vesicae, internae ventriculorum cordis superficie perfecte fuit similis, ac talis, qualis jam a *Valsalva* descripta fuit *).

E p i c r i s i s.

Historiam hujus morbi ac sectionis pathologicae, amicus *Burserii* et noster, cuius memoriam pie semper venerabimur, *Josephus Pratolongo*, Anatomiae tunc publicus professor, et expertissimus *Genuensium* medicus, die 5º Decembris 1789 nobiscum com-

* Apud *Morgagni*, de Sed. et caus. morbor. Ep. XL. n. 4. Ep. XL. n. 33.

municavit. „Singulare non minus ac verissimum, est, scribebat, quod non obstante tanta partium degeneratione, quae omnino paucorum dierum opus esse haud potuit, aeger nihilominus, et plateis publicis interesse, ac cibis, more sibi solito, quamplurimum indulgere continuans, lectulo tamen, nisi ab ultima febre, septimo jam die funesta, adfixus non fuerit.“ — Sed plura, quae adnotari merentur, hic nobis se offerunt. Nec enim febris ultima, typum quasi tertianae observans, tam vehemens fuit, quin pulsus, etsi debiles, frequentiam febrilem proderent; nec, si ad inflammationem tum ventriculi, tum intestinorum duodeni ac jejunii praesentem respicias, ullum istius signum, ut vomitus, dolor, pulsus contracti, duri, frequentes, praegressum est. Ad singultum quod pertinet, illum diu ac ab anno jam fere continuum, intestinorum huic incendio utique **vix** attribuas; vel, si attribuere contenderis, fac ut originis diversae symptoma aliquod, dum aeger hunc solum accusaret, nobis manifestas! Nec in alvi obstructione quid est, quod huic presbytero voraci a multis retro annis proprium non fuerit. Dein, a *tribus illis herniis*, uni homini, quod rarum est,

molestis, tum singultus ille, tum alvus tardior, explicari non minus possent. Cum autem tam ventriculus, quam intestina, saepius a morte (maxime dum sanguinis ex illic, sacco hernioso susceptis, redditus difficultior quidquam, vasorum repletioni diu ansam porrexerit) hic illicve *rubeant*, quin, ante obitum, vera inflammatio hic locum habuerit; — praecipue cum de livore et aucta crassitie horum viscerum, mentio, quae mortem ex *gangraena* illorum descendisse docebit, non facta sit; dubitari adeo licebit, num hocce incendium tam tacitum, num alia longe causa, vitae finem imposuerit? Concedamus vero, — eorum non immemores, quae de *gastritide* (§. 230), ac de *enteritide* (§§. 238. 239. 241.) inculcavimus, quos morbos nempe hinc inde absque ullo, nobis noto, symptomate, lethales fieri, observationes, quas in praelectionibus adduximus, docuerunt, — mortem nostro in presbytero ex dictarum partium incendio eo magis venisse, quod jam simplex inflammatio, absque gangraenae tardioris imperio, vita hominem spoliare queat; non minus igitur mirabimur, tumorem in hypogastrica regione, sine alio vesicae laesae symptomate, quam

singultu, jam antehac consueto, tam diu comparuisse, ut si febrem primam, per 40 dies extensam, excipias, nec dolor ad vesicam, nec lotii suppressio successerint; sed in ultima tantum, unius hebdomadis, febre, mictus frequentior, ardor aliquis ac difficultas sese prodiderint. Quamvis autem, cum his, urina sat multa bona que indolis successerit; laudamus tamen magnam experti ac senis medici perspicaciam, ut qui, praesente hypogastrii incognitae natura tumore, in consilium accersitus, nec ab urinae quantitate, nec ab ejus debito colore, se, quin catheterem vesicae applicari jusserset, seduci sinavit, atque sex libras *urinae turbidissimae ac foetentis* eduxit. Saepe scilicet cum ejusmodi tumoribus hypogastrii, quamvis urinae sat multae secedant, earum tamen *rentio* simul adest, ac dum, quod ex iisdem clarum abscedit, liquidum effluxit, ad partem vesicae posteriorem ac inferiorem, quae saccum recto intestino incumbentem, saepe sat magnum, et alvi excretioni contrarium, constituit, *faex lotii* turbidissima et foetida stagnat. Sola per intestinum rectum investigatio molliores hos vesicae tumores distinguuit. Si tamen ante catheteris introductio-

nem aeger vel paulipser deambulet, vel hinc
inde per lectum revolvatur, vel prius, capite
ac thorace profundius quidquam positis, in
genua et cubitus aliquamdiu procumbat, faex
dicta, cum urina clariore intime commista,
simul cum ista, turbidior secedet. Cœterum,
non tam rarum est, fibras vesicae musculo-
sas, per calculos, aut per morbos alios du-
dum vexatas, mirum quantum mole augeri
ac ut plures in *sexti voluminis Epitomes* parte
prima, §. 769. ac hoc ipso in opere conser-
vatae observationes testantur, in trabeculas
elevari, et in vesicae cavum, sic imminu-
tum, prominere non modo, sed colorem al-
bescentem, tendinum illi similem, induere.
Fateamur interim, mortem aegri jam ultra
septuaginta annos nati, per morbos non pa-
rum fracti, ac nullo certe modo diu conser-
vandi. *repentinam, inanitioni* potius promptiori,
tum ex sex libris urinae per vesicam, tum ex
enemate cum faecibus per anum rejectis, in-
ductae adscribendam esse ncbis saltem vide-
ri. Cum vero *tunicam villosam* hac in vesica
defuisse referatur; etsi hujus tunicae variis a
corporis partibus per morbos, ut per cynan-
chen ex trachea, per dysenteriam ex intesti-
nis, secessus, tum a veteribus frequenter

accusetur, tum a *Littrio*, et ipso ab immortali *Morgagnio* defendatur*); fatemur iterum, nos, nisi vera superficiei visceralis suppuratione praecesserit, plerisque his in casibus non tam *villosam*, quam *pseudo-membranam*, seu concretionem polyposam in secedentibus his, a parte prius inflammata, pelliculis, cum *Portalio* **) videre. Posse interim inter fibras musculares, mole auctas magisque torosas, ac in fasciculos insolitos sibi adpressas, telam cellulosam, per quam nervorum vasorumque ramuli decurrunt, compressam, vix non disparere, aut colore rubro, vel stramineo, ut pro musculari, aut tendinosa substantia habeatur, tibi, hoc quidem in dubium vel minime revocabimus.

Retentio urinae ureterica.

Vir nonagenarius, a multis retro annis calculis renalibus subjectis, viribus collapsis ac pene consumtus, nosodochium *Ticinense* adiuit die 7^a mensis Septembris 1793. Continuos ille circa lanibos dolores usu lactis ac emulsionum moderare solebat; cum tandem

*) De sed. et caus. morb. Fp. XLI. n. 16.

**) Mém. de l'Acad. R. des Sciences de Paris 1730.

sub nixu ad alvum deponendam diuturno ac vano *delabentis* sibi *ex rene* sinistro *ponderis*, deinceps vero *acsi quidquam* sibi hunc *ad locum rumperetur*, sensationem habuit. Ab eo tempore, pene ac testiculo retractis, urinas non aliter, quam cruribus ad ventrem reductis, cum insigni ad mingendum conatu, et cum extremo dolore guttatum exprimere potuit. Dolor, a renis sinistri regione incipiens, antrorsam versus insertionem ureteris furiebat, a motu, concussione, inflexione corporis, atrocior. Post septem dies tam misere transactos, tumor circumscriptus, attactum praedolore recusans, natus est. Hic tumor, postquam decem per dies continuasset, sub aegri adventu fluctuabat, et a lienis regione umbilicum versus, octo pollices longus, sex vero pollices latus, tendebat. Praeterea cruris sinistri stupor, paresis, vomituritio, mœstitia, fletus fere continui, ciborum interim non deleto desiderio, adfuerunt. A biduo, cum nixu licet summo et continuo, urina tamen nulla secesserat. Pulsus erant frequentes, exigui, contracti. Nullus circa vesica regionem tumor erat, nec urinam catheter illi cum labore immissus, detegebatur. Ad locum dolentem, cum oleo prius inun-

ctum fomentatio emolliens instituta, et hordei decoctum ordinatum fuit.

Altera die 8^a Septembris, quae erat morbi decima nona, dolor inquietudo continuant. Aeger hinc semicupio commissus, post istud vero fomentatio, emulsione pro potu praescripta, continuata, cum vero ad vesperas dolor ad locum tumoris, inquietudo, jactatio aegri urgerent, cataplasma emolliens impositum, et opii solutio aquosa porrecta fuit.

Die 9^a Septembris, dolor imminutus, facies collapsa, hypocratica, summa per omne corpus, quod attactum fugiebat, sensibilitas, alvus inscie deposita, singultus, extremus virium languor, tremor manuum, extremitatum frigus adsunt. Post meridiem, praevio dolore ad locum tumoris, ad quem aeger manus continuo ferebat, novo, mox sensus fatiscebant, ac sub levi jactatione, singultu, sensu frigoris, mors optata insecura est.

Sectio cadaveris.

Reserato abdomine, in parte sinistra, versus ureteris initium, tumor, nullibi adhaerens, leviter ad superficiem inflammatus, ex

ipsius pelvis renalis sinistram dilatatione inductus, comparuit. Cum vero simul ren sinistram, colore magis rubro instructus, et calculum in sua substantia, quasi nucleus, recondens, molem quadruplo naturali majorem agnosceret; tumor pelvis anteriora versus ab eodem propulsus fuit. Hic tumor, parva sectione apertus, tres circiter urinae turbidae et acris saporis libras effudit. In fundo hujus sacci depleti, duo calculi non magni, sed duri latebant. Per omnem ureteris sinistri longitudinem plures calculi friabiles, inter quos hic canalis arctius se contraxerat, haerebant. Ren dexter, si pelvem ejus, ad quatuor digitorum latitudinem extensam, rubentem, ac urina repletam, excipias, a statu sano non abstulit; ureter vero ab eo descendens, a sex calculis, non magnis, oppletus fuit. Vesica, in qua lotii nec quidquam repertum est, admodum contracta, parietibus crassioribus, hinc inde prominentibus, instructa, calculis diversae magnitudinis, partim friabilibus, partim vero duries, repleta fuit.

E p i c r i s s.

Praeter communia calculis renalibus eorumque in ureteres descensui (clariora quam

multis in aliis) phœnomena, historia haec, ab auditore nostro *Alexandro Buzzi, Ticinensi*, in civitatis hujus nosodochio conscripta speciem tumoris circumscripsi, attactum recusantis, fluctuantis, a lienis regione umbilicum versus protensi, offert, cuius indoles non facile nisi anatomicae disquisitionis beneficio intelligi potuit; hac vero face praelucente, futuris in casibus intelligetur facilius. Quamvis nempe pelvis renalis non parum dilatae exempla non sint tam rara; quamvis hujus dilatationis specimen ipsi huic operi inseruerimus; et licet renem ipsum, tantum in utrem, ut omne cavum abdominis impleverit, ac pro ascite imposuerit, viderimus; raro tamen symptomata nostro in sene obvia, diagnosin tam arduam reddunt. Facile nempe illis, qui ad rationes calculi, vesicae urinæ vacuae, ac absentium causarum, symptomatum, quae suppurationes internas, hydropem saccatum producunt, comitantur, minus attenti fuissent, vel peritonaei, vel lienis abscessus, vel hydrops omenti subesse, videri potuisset; et ad similem in diagnosi errorem, rara pelvis ac ureteris superni, etsi levis, ad externam superficiem inflammatio non parum contribuere valuisse. Cum vero

ad constantem urinae in vesica absentiam; nisi ista ex universi systematis, vel ipsius organi secernentis vitio ordiatur, *utrumque ureterem* impervium esse oporteat (§. 8. Epit. L. VI. P. I. §. 765.); pauca sane *ischuria* ut male vocarunt, *renalis* exempla horum ductuum ex culpa, in libris medicorum descripta sunt. In casu praesente, etsi cathe-
ter urinam nullam in vesica detexerit, nec ullus circa hanc tumor exstiterit, summus tamen ac perpetuus, scilicet ex calculis in vesica sicca latentibus, ad mingendum nisus fuit; ex quo, non in omni *ischuria*, quam etiam *spuriam* dixerunt, mingendi nisum violentum deesse concludimus. Tantum sensibilitatis per omne corpus augmentum, ut at-
tactum recusaret, paucis ante mortem ho-
ris in sene tam descripto successisse, rario-
ra inter agoniae phœnomena ponendum est.
Nec minus, observata, sub hoc externae sen-
sibilitatis incremento, doloris ad tumorem
interni diminutio, istius vero, priusquam ae-
ger animam efflaret, tam crudelis renovatio;
admirationem nostram percellit.

Retentio urinae ureterica.

Antonius *Aspergalli*, vir 67 annorum, mercatorum *Ticinensis* scriba, biennio frequenter urinae difficultatibus ex calculis, quos miliformes excernere solebat, obnoxius, die 2^a Septembris 1793 *sub nixu* ad alvum dependentam fortiori, a violente ad reñem sinistrum dolore, ac *sensu partis internae sub illo disruptae*, prehensus fuerat. Mox urinae, si paucas modo guttulas excipimus, quas maximis ac repetitis sub nixibus cum insigni ardore expresserat, supprimitur excretio.

Die morbi sexta, 7^a nempe mensis Septembris, aeger ad *Ticinense* nosocomium defertur. Noctem elapsam ille expertus erat insomnem, turbulentissimam. Regio hypogastrica nunc tumet ac dolet. Ructus adsunt frequentes, singultuosi, sitis inexplebilis, facies pallidissima. Alvis interim aperta est. Circa vesperas abdomen, etsi cathetere jam prius vesicae immisso, nihil ille urinae hoc in viscere detexerit, insigniter tensum, ad attactum dolet. Ventris haec tensio aequalis et circumscripta est, ac, supra umbilicum ascendens, diaphragma fere attingit. Semicupio aeger immergitur,

et fomenta posthinc emollientia adponuntur abdomine.

Die morbi septima abdominis moles aucta est. Vix aliquot urinae guttulas aeger hac nocte excrevit. Languor, pallor pulsuum exilitas sunt maximae; singultus continuat. Post meridiem mors promta his aerumnis finem imponit.

Sectio cadaveris.

Integumentis abdominis dissectis, intestina insigniter inflata, tumoris antehac in illo reperti rationem reddebant. Renis sinistri, ex atro lividi, moles, illam capitum infantilis vix non adaequebat. Pelvis renalis mirum in modum extensa: ureter hujus lateris ad suam cum vesica connexionem calculis minoribus oppletus erat. Vesica ipsa, parva, contracta, exceptis calculis exiguis, vacua reperta est. In dextro uretere, cum pelvi renali quidquam dilatato, prope vesicam, calculus pariter haerebat.

Epirissi.

Observationem, quam hic tradimus, conscripsit D. *de Antoni*, qui chirurgi adsistentis in clinico Instituto *Ticinensi* vices indefesse

implebat. Pelvis renalis morbosa, cuius delineationem subjungimus (Tabula I.), museo pathologico *Papiensi* commissa fuit.

- a. a. a. Renis circumferentia.
- b b Pelvis renalis extensa.
- c. c. c. c. Ureter superiore parte dilatatus.

In praesente retentionis urinæ uretericae exemplo, non tanta quidem, ac in eo, quod vix exposuimus, pelvis renalis sinistrae et contigui ureteris dilatatio, — nullus tamen in istis, nisi dum calculus in ureterem descendenteret, dolor, sicut nulla inflammatio fuit. Praecessit tamen summum renis ipsius (in effigie hic exposita urinis jam depleti et colapsi) extensio, et gangraenæ vestigia relinquentis incendium. Utraque vero in historia attendi meretur: descensus calculorum ex pelvi renali in ureteres *sub nixu ad alvum fortiorē* occasio, ac *doloris, quasi quid ruptum sub eo fuisset, sensatio*. Quamvis autem, hoc in aegro, ren uterque calculos generasset suo-que ureteri committeret; calculi tamen renalis, si brevem, sed fortiorē, sub ejus in ureterem descensu, ad renem sinistrum dolorem; et ructus copiosos, singultuosos, excipias, defuerunt consueta aliis symptomata:

lumborum diuturni cruciatus, vomituritio,
 vomitus, colica, ut vocant, nephritica, cru-
 rum stupor, penis testiculorumque retrac-
 ctio. Cum vero, morbi die sexto, regio hy-
 pogastrica cum dolore intumesceret, venter-
 que omnis praeter modum assurgeret: lice-
 bat utique, sub urinae aquatuor jam diebus
 suppressione, vesicae ab illa repletionem
 conspicuam, utriusque tumoris ut causam,
 suspicari. Atqui tamen, nec introductus,
 sub primo aegri ad nosocomium adventu, in
 vesicam catheter urinam in ista detexit; nec
 post mortem lotium hoc in viscere, potius
 parvo et contracto, repertum fuit, ac om-
 nis abdominis hunc fucum faciens tumor,
 suos meteorismo ex calculis symptomatico
 natales debebat. Quemadmodum vero in prio-
 re huic exemplo, sub perfecta urinae fluxus
 in vesicam suspensione, nixus tamen ad il-
 lam excernendam cum atroci dolore perrexit:
 ita et praesente in casu, iterum ex calculis,
 et quidem exiguis, hoc morbi phœnomenon,
 quod in renali seu spuria, ut vocitant, ischu-
 ria deesse dixerunt, ultro continuavit; et
 quae, *Epitomes* libro VI. Parte I. §. 765, do-
 cuimus, „nec pectinis scilicet tumorem, nec
 atroces mingendi nixus in *spuria* sic dicta

ischuria semper et ubique deesse, "comprobavit. Cœterum, nullibi ureterum positionem calculorum, etiam parvorum, hujus magis funestam esse, quam quo loco hi longi canales inter vesicae urinariae membranas oblique decurrunt, et ab ipsa stimulati hujus visceris contractione retinentur, et hoc exemplo, ultro quam opus esset, evincitur.

Retentio urinae cum vesicae gangraena.

Ischuria venerea jam pluries corripuerat Josephum N. annorum quinquaginta virum dum *Laudensi* nosocomio die 24 Februarii 1788 receptus fuit. Diri tunc cruciatus in regione hypogastrica, ad pubem praesertim, præcesserant. Tumebat venter, tumida ex loco retento vesica. Febris aderat cum pulsu parvo, et viribus dejectis. Plures domi venae sectiones institutae fuerant. Nycthemeri intervallum duntaxat ab invasione morbi, quantum scilicet ex aegro colligi potuit, elapsum erat; et tamen praesentis jam ultro gangraenae instabant symptomata. Dum ope catheteris urinam educere tentaret chirurgus; resistentiam opponebant magnam collum vesicae, tumensque prostata, quam

volumina auctam induratumque sentiebat digitus per anum explorans. Lotium, parca in copia eductum, nigricans est et admodum fœtidum. Aeger interea post triduum a morbi principio, viribus prostratis, inter inaequales frigidosque sudores moritur.

Sectio cadaveris.

Penis integumenta, a radice ejus, ad extremam usque glandem, livida, atque a gangraena, ad scrotum usque propagata, correpta erant. Abdomine reserato, dum vesicam a vicinis partibus sejungendi esset animus, ureteres, diametro non parum aucti, utrimque in conspectum veniebant. His, ut vesica una cum urethra ex pelvi extracta, melius pateret, filo injecto rescissis, inter secundum ex vesica nigricans, ex commisto ichore gangraenoso, lotium effluebat. Externum et posteriorem vesicae parietem defœdabant maculae late gangraenosae, dum interim membrana hujus visceris interna e loci in validos lacertos, quasi plicata, assurgebatur. Sphacelus quoque collum vesicae ita devastaverat, ut in tabum quasi membranae diffluerint. Glandula prostata et ipsa infecta, volumine tandem aucta, fistulam urinæ.

riam arctabat ita, ut ischuriae inde ratio elucesceret. Urethra quoque per totam ferme ejus longitudinem, praeter modum **constricta** erat, quin tamen vel ulla prominenta, vel cicatricula in conspectum venirent. Vesica et partibus contiguis per anatomen exploratis, ad ureteres, qui diametro aucti comparuerant, sectio conversa fuit. Utriusque renis pelvis praeter modum dilatata urinaque distenta erat. Ren dexter, evacuato lotio, per ureterem in longum dissecus fuit, ut inde melius, quae dilatationis causa et effectus essent, pateret. Ren sinister, cuius pelvis priore duplo fere amplior erat; integer servatus, et, quo auctae capacitatis mensura haberetur, aere inflatus fuit. Ambo renes, urina coloris aquaei replebantur. Ureterum oscula in vesicam hiantia, a lacertis, in quos, reticulatim plicatos et inflexos, intima, posterior tunica adsurgebat, ita ut lumen eorum valde esset imminutum, coarctabantur.

E p i c r i s s.

Laudensis nosodochii medicus expertus, gemellus Villa, M. D. hisoriam morbi, in quam hic inquirimus, amice nobis transmisit. Agi-

tur in ea, de viro, a morbis venereis frequen-
tiis mulctato. Quam crebro vero ab istis
tum prostatae, tum vesicae laesiones multi-
plices, atque tam acutae, quam chronicae,
vel mox a concubitu impuro, vel diutius
ab illo, propullulent, et quam funesti sae-
pe in istis vel ipsius methodi medendi
perversae effectus sint, in diversis *Epito-*
mes locis dilucide satis exposuimus. Interi-
tum aegris promptioreminantur vitia hujus
indolis, quae vias urinae in totum interci-
piunt. Fateamur interim, nobis, sub longo
artis exercitio, nullum unquam aegrum, qui
unius spatio nycthemeri a gangraena ves-
icae, tertia vero jam die, genitalium exter-
norum etiam gangraena correptus perierit,
obvenisse. Exempla non desunt, ubi a con-
cubitu impuro, post paucas dies, gangrae-
na et sphacelus, sat cito aliquando lethales,
genitalia devastaverint; haec interim minus
ipso hoc a veneno, quam ab incognita cer-
torum hominum constitutione pendere, do-
cet aliorum, qui eodem fere tempore, ex uno
eodemque fonte malum istud hauserunt, sors
longe mitior; qua in re contagia diversa, ip-
sumque virus variolosum, satis conveniunt,
Ex tribus adolescentibus, qui, *Mediolani*, una
cum muliere infecta, unius horae intervallo

concubuerant, simplici unus medorrhœa
 urethrali, duo alii vero ulceribus venereis,
 quae in uno ex istis mox gangraenam cum
 glandis jactura conceperunt, affecti fuerunt.
 Sed lippis et tonsoribus nota hic referimus.
 Diros vero cruciatus ad regionem hypogastri-
 cam in aegro nostro praecessisse, vesicam
 ex lotio retento, ventrem ipsum, sub ejus
 in nosocomium introitu intumuisse, ac ve-
 rae sic *cystitidis* symptomata, repetitis a ve-
 naesectionibus nec quidquam mitigata, ad-
 fuisse percipimus. Hucusque igitur, si cele-
 ritatem morbi, ac penis ipsius scrotique gan-
 graenam, sub simplici cystitide nunquam
 vel a nobis, vel, quod sciamus, ab aliis con-
 spectam, exceperis, res a tramite consueto
 nihil aberravit. Ad primam quod spectat,
 dubitari saltem licebit, num aeger, dum
 nosocomium intraret, a vesicae gangraena
 jam correptus, ut verum morbi sui princi-
 pium indicaret, satis sibi conscientius dici po-
 tuerit? et cum plures sibi domi jam factas
 venaesectiones ille referret, videntur hæc,
 aut non sub primis morbi horis institutae,
 aut non tam pauca inter se distantia repeti-
 tae fuisse. Quodsi vero hoc factum sit;
 num liberior cruoris in homine, a morbo con-

tagioso jam diutius detento, detractio gan-
graenam non promoverit, quaeri posset.
Quidquid vero fuerit; interna vesicae hoc in
aegro constitutio nostram sibi attentionem, —
non tam ob sphacelum, quam ob *validus* ad po-
steriorem faciem *lacertos*, meretur: quos scili-
cet *lacertos*, minus intimae membranae, in
plicas assurgent, quam *fibris* vesica *muscula-*
ribus sub illa, a longa irritatione, mole au-
ctis, attribui vellemus. His nempe a lacer-
tis, reticulatim plicatis et inflexis, ureterum
oscula in vesicam hiantia, impedita, et ita
ut lumen eorum valde esset imminutum,
coarctata fuisse referuntur. Non solis nem-
pe a calculis, sed a repetita saepius, sub gra-
vi medorrhœa et prostatæ glandulae incen-
dio, phlogosi, ad vesicam crebro extensa et
chronica, hæ fibrae muscularares stimulan-
tur, molem morbosam assumunt, et vesi-
cam non minus, quam, pro varia sua posi-
tione, ipsorum adeo ureterum, in illam hian-
tium ostia coarctant. Longioris igitur mor-
bi, non paucarum modo dierum, effectus hic
dicendus est; a quo scilicet ureterum, a lo-
tio in vesicam distillare impedito, et pelvium
urinalium, et renum ipsorum dilatatio, non
difficulter derivabitur. Cum urethram aegri,

per omnem sui longitudinem praeter modum quidem constrictam, sed aliter haud mutatam, hinc neque a gangraena correptam, fuisse legimus; integumentorum penis scrotique livorem et, ut vocatur, gangraenam, strangulationis et largioris ecchymosis quasi specimen magis, quam sphaceli cum interna vesicae gangraena communicantis, effectum fuisse suspicamur.

Vesica urina, cordis figuram habitumque aemulans,

Notarius *Papiensis*, anno aetatis suae trigesimo secundo, dysuria laborare, mucum inde una cum urinis excernere, et sensim sensimque calculorum symptomata ad renes, ureteres, et vesicam experiri cœpit. Indies muci quantitas in urinis augebatur adeo, ut urinae fœtentis illam duplo superaret. Post septem annos, aeger binos calculos laevigatissimos, pisi magnitudine, sub propriis huic morbo symptomatibus, dimisit; persistentibus tamen aliis, quae de calculi in vesica urinaria praesentia testarentur phœnomenis. Aquam calcis absquo ullo effectu adhibuit.

Cum ad quinquagesimum et nonum an-

num hic vir pervenisset, sensum languoris, debilitatis, plenitudinis accusavit. Explorato abdomen, tumor circumscriptus, duriusculus, pressioni tamen cedens, pyriformis, sex digitos transversos aequans, ad epigastricam regionem persentitur. Altera die, hic tumor in regione umbilicali, tertia in epicolica dextra, mox vero in sinistra, imo eadem in die, pro diversa aegri positione, et pro cibi diversa ratione, vel a tempore pastus, nunc in hac, nunc in alia abdominis parte locabatur; modo evidentissime comparebat; modo vix, ac ne vix quidem tactu percipi poterat; imo quandoque omni etiam adhibita diligentia detegi nequiebat. Pedunculati tumoris suspicio nata est. Ex solis martialibus remediis, praecipue cum sapone, vel cum extracto cicutae juncitis, levamen aeger percipere solebat. Tandem post annum et ultra, dum autumnali tempore violentius per colles moveretur, post aliquot ad lumbos, ad abdomen, praecipue vero ad pubis regionem et ad perinaeum doores, sanguinis sinceri minctum expertus est. Absoluto unico cruoris e vesica profluvio, consuetis symptomatibus vexatus, pulsus aeger offert debiles, intermittentes; nausea

accedit, et assumtorum vomitus; singultus, tendinum subsultus, febris sequuntur, ac tandem, octavo ab haematuria die, aeger convulsus extinguitur.

Sectio cadaveris.

Intestina maculis lividis ubique notata sunt. Epiploon, sicut annulo abdominali, ita vesicae fundo adhaeret. Miro modo hoc urinis dicatum viscus a statu sano aberrat. Color ei ex rubro lividus, figura vero conoidaea, et magnitudine non minus, quam parietum densitate *cordi humano inverso*, cuius apex scilicet inferior, basis vero superior foret, similis est. Longitudinem vesica, sic constituta, sex, — latitudinem vero quatuor pollicum habet. Fibrarum muscularium ordo et numerus ita multiplicati, **crassities** tanta sunt, ut densitas parietum ad pollicem cum dimidio aucta compareat, cordisque compaginem omnino referat. Nec in cavo hujus visceris productiones lacertosae, numerosae, quae cordis interna exornant, defiebant; ita ut, si ventriculorum divisionem excipias, nihil omnino quod non hanc partem nobilissimam simularet, deesset. Cavitas vesicae adeo imminuta erat, ut qua-

tuor modo liquidi uncias contineret. Superficies ejus a muco male olente obducta fuit. Inter colli vesicae lacertulos, calculus subrotundus, niger, laevigatus, exiguuus tamen, et modo grana viginti ponderans, haerebat. Alter, ejusdem voluminis et naturae calculus libere per vesicam movebatur. Tertius tandem, castaneae magnitudinis, ad superficiem posterioris vesicae parietis, inter duos carneos et magnos lacertos haerebat, lineis fere quatuor in cavum vesicae prominens, trochleae in modum excavatus, et albus, quo vero loco obiectus degebat, niger atque laevigatus.

Ren uterque, minus tamen dexter, mole auctus et durior. Pelves renales earumque ureteres mucus male olens, quemadmodum vesicam, obducebat.

Lien parvus, in superficie rugosus, cœtera vero tam abdominis, quam thoracis viscera sine labe detecta fuerunt.

E p i c r i s s.

Acuti ingenii viro, Doctori *Dell'ū*, medico *Ticinensi*, *Tissoti* et nostro quondam auditori, memorabilis hujus casus descriptionem sollicitam debemus, ac promissam in *Epitomes L. VI. P. I. §. 769*, hic tradimus.

. Quam longa interdum mora temporis *in-*
ter prima calculorum urinalium symptomata,
et eorundem vel secessum, vel praesentiae
certitudinem, intercedat; ex *septem annorum*
intervallo comparet, quo hic aeger, post-
quam sensim sensimque calculorum, ad re-
nes, ureteres, et vesicam phœnomena per-
sensisset, ac postquam, praeter urinas fœ-
tentes, majorem indies, ac duplam muci co-
piam cum illis excrevisset, binos modo cal-
culos, et quidem piso haud majores, ex ure-
thra rejicit. Quamvis autem hi calculi tan-
tum aetatis anno trigesimo fere ac nono, cum
aliorum adhuc concretionum in vesica lati-
tantium signis, secesserint; viginti tamen
unumque annos aeger utcunque transeggit,
quin vel maximus ex tribus calculis, post
mortem in vesica detectis, magnitudinem
castaneae superasset. Ne aquae calcis, ab
aegro quondam haustae, et ultra viginti jam
annos sepositae, hoc attribuas, tum ipsae
vesicae sensus nec quidquam ab ista miti-
gatus, tum cognita satis hujus remedii *inte-*
rius adhibiti in calculis inutilitas, tum deni-
que calculorum singulorum non modo duri-
ties, sed et levitas vetant. Non tam felicem
interim apud omnes in calculi augmento len-

torem esse, matura puerorum ab illis vexatorum sectio, quae toties vel maximos eorum e vesica calculos eduxit, nimis jam docuit. Quantum interim auctoritatis in calculorum diagnosi fœtor ille urinarum specificus, ac muci tenacis ac plurimi cum istis excretio agnoscat, ex hujus etiam aegri historia elucet. Quid vero tumor ille proteiniformis in abdomen, pressioni cedens, diuisus tamen, in regionibus nunc epigastrica, nunc umbilicali, nunc in alia, nunc nullibi comparens, significaret, hoc arduum fuit dicere. *Omentum* scilicet, abdominali tum annulo, tum vesicae fundo adhaerens, hos lusus induxit, ac prout intestina, flatibus aut faece turgentia removit, compressit, dividit, atque nunc hoc, nunc alio in loco detinuit: ita quoque tumorem multivagam exploranti digito opposuit. Talem quondam pars haec difficultatem diagnosis in ultimo Marchionum *Balo-Badensium*, cuius nos historiam alibi, inseruimus, creavit: ut qui Princeps, dum jejonus esset, erecto quidem corpore incedere valebat; post assumtum vero prandium, aut anteriora versus oblique incurvus incedere, aut de ventriculi molesta tensione conqueri debuit; quod phœnomenon,

ut

ut sectio cadaveris nos docuit, epiploon cum testiculo in hernia, per lapsum, ut credebant, inducta, verosimilius tamen congenita, concretum, stomachum a cibis repletum, ne suam curvaturam majorem eleveret, impedivit.

Quae causa haematuriam hoc in aegro excitaverit, nisi a calculo, inter duos carneos et magnos vesicae densioris, contractae, ac sanguinis per sua vasa distributioni contrariae, lacertos haerente laesio quaedam contigerit, ex sectionis historia saltem non liquet. Non pauca quidem vesicae humanae, praecipue post calculos, lacertosae, ac fibris muscularibus mole multum auctis instructae exempla habentur *); sed hujus visceris, in musculum torosum, cordis instar concavum, conoideum, ac tam crassis lacertis divisum permutati specimen descriptum esse nescimus.

*^o) *Morgagni de sed. et caus. morb. per anatomen indagatis in Epist. Anat. med. XLI. Lib. 3. Baillie, Anatomie des krankhaften Baues, S. 278. De Bingen de carnositate vesicae urinariae morbosa. Altdorf 1759. Hoffer in Act. Helvet. Voigtel, Handbuch der pathol. Anatomie 3. B. S. 207. sq.*

Carcinoma vesicae urinariae.

Vir religiosus quinquagesimum aetatis annum emensus est, quin ullo fere morbo premeretur; cum primum vero ad quinquagesimum secundum pervenisset, pustulae totum corpus occupantes comparuerunt nigricantes et puriginem inferentes, quae tamen absque artis auxilio, squamatim deciduae, disparuerunt. Quatuor post menses, Augusto nempe 1787, novam scenam lusit morbus, crebriores magisque nigras pustulas in medium proferens, quae nonnullorum diem circuitibus humore rubro et purulento impraegnatae fuerunt, qui humor, sponte evacuatus, caustici adinstar agebat: partes enim istiusmodi humore madefactae, cito excoriabantur. Per mensem et ultra, magno cum aegri incommodo obduravit hic morbus; forti dein frigoris impressione disparuit. Sub finem mensis Octobris, dolor ad regionem sinistri renis exsurrexit obtusus et continuus, qui ad anteriora interdum et ad pubem usque sese extendebat, ita ut aeger lateri dolenti incumbere non potuerit. Huic postea se adjunxit difficultas mingendi, et exigua febris; quae tamen, superstite semper dolore, opportunis medicaminibus fugata sunt.

Aliquod post tempus urinae copiose profluebant, et in illis, absque aegri sensu, cernebantur flocculi albicantes, partim iisdem supernatantes, partim fundum petentes, oblongi, sanguinisque striis commisti, qui attente examinati, maceratae cujusdam membranae imaginem p^rae se ferebant.

Hocce in misero statu plura fuerunt remedia praescripta; sed incassum: nam dolor in mingendo, qui primum aberat, accessit postea. Urina guttatum et continuo plorabat; corpus gradatim emaciabatur; alvi constipatio, adpetitus abolitio, et anxia respiratio torquebant aegrum. Sinistri renis dolor magis magisque saevit. Crescunt indies inanes mingendi conatus; fortis tenesmus insurgit, quin imo hisce sub conatibus summam ad vesicae orificium resistentiam experiebatur infelix, quae urinae viam claudebat. Per tres menses res ita se habuerunt; tandem vero mingendi conatu iterato, quadam cum explosione, corpus sanguineum et grumosum expulsit, ita ut oppositum parietem quatuor circiter passus ab aegro distantem, ille conspurcaverit. Hac ablata resistentia, magna sanguinis copia effluxit, quae ad libras tres ascendebat. Vires vitales fra-

ctae sunt, et in lipothymiam incidit aeger, a qua sublevatus, per quindecim dies nullam haemorrhagiam expertus est; praedictis tamen perdurantibus symptomatibus. Hisce elapsis diebus, in pauca urinae quantitate, quam laboriose emittebat, observabantur arenulae quaedam una cum grumis sanguineis. Pulsus inordinati ac debiles fiebant. Febris accessit demum, quae, constante ordine, sub vespera exacerbabatur. Catarrhalis quasi cynanche superveniebat; quae fluidorum omnium deglutitionem impeditiebat. Priori fortior nunc haematuria rediit, quae copiose per tres dies continuavit. Proinde subsecuta est omnimoda urinae suppressio, et purulenta materiei profluvii cessatio; dolor in renis regione sensim sensimque deletur, et continuus horror ossa invadit. Sub tanto rerum miserrimarum cumulo, alterius medici consilio expetito, de prostatae tumore suspicione nata est, proindeque cicuta externe ac interne praescripta fuit. Vix autem grana quindecim illius assumserat aeger, cum vomitus comparuerit, ac materiae ejusdem indolis ac illae, quae prius per urethram stilaverant, cum illo rejectae sint. Singultus paulo post, tendinumque subsultus excita-

bantur. Anhelosa respiratio, frigidi sudores, et lethalis postremo diarrhoea tam cito aggressa sunt aegrum, ut brevi horarum spatio vitam cum morte commutaverit.

Sectio cadaveris.

Abdomen intropressum, nihil quidem livoris offerens, adpertum fuit. Nulla hic pinguedinis vestigia, et musculi quasi igne torrefacti videbantur. Peritonaeum in parte anteriore et inferiore tam arcte concretum erat cum tota vesicae urinariae superficie ut illud ab ista rectius separari non potuerit. Omentum disparuerat; intestina vero, absque inflammatione, vacua erant. Hepar a statu naturali non recedebat. Lien nucis magnitudinem prae se ferebat. Ren dexter nihil notatu dignum exhibuit; sinister vero, cuius regionem fixus et obtusus dolor semper occupaverat, consumtus omnisque obliteratus erat, nilque aliud, quam pelvis illius fluctuans de eo supererat. Ureteres dilatati non erant; sed levi tantum inflammatione correptus fuit ex illis sinister. Vesica urinalis tuberosa undique adparebat, et naturali volumine duplo major. Partibus adjacentibus illa ita adhaerebat, ut culter ana-

tomicus, dum eandem avelleret, strideret, quasi searentur cartilagines duriores. Separatae vesicae pondus ad duas libras ascen-debat. Per medium secta, undequaque quasi lacera et ulceribus plena inventa est. Reperti sunt quoque sacculi purulenta ma-teria turgidi nonnulli, disrupti alii. *Substan-tia fungosa* internum vesicae cavum adimple-bat. Hujus cavum non ultra tres uncias fluidi continere poterat, ita erant ejus pa-rietes crassitie aucti.

E p i c r i s i s.

Circa observationem hanc, ab Auditore nostro D. *Paulo Dagna, Ticinensi*, anno 1788 conscriptam, varia, notatu digna occurunt, *Vesicae urinalis scirrhi*, qui aliunde (ut ab ute-ro, intestino recto) eidem non accesserint, sed propria hujus visceris in substantia na-tales agnoverint, rariores sunt; ac saepe pa-rietum vesicae auctam crassitiem, et fibra-rum muscularium torositatem scriptoribus pro scirrho imposuisse, ab aliis jam animad-versum fuit *). Non tamen prorsus igitur

*) *Baillie Anat. des krankhaften Baues*, S. 176. 177.
Voigtel Handb. der pathol. Anat. III. B. S. 276. *Soem-mering*, *Abhandl. über die schnell und langsam tödt-lichen Krankheiten der Harnblase und der Harnröhre*, *Einleitung*, p. xiii. xiv.

negari posse scirrhos vesicae *primarios*, exemplo manifesto jam evicimus in *Epitomes* L. V. P. II. §. 630. p. 262. sqq. et aliud vesicae carcinomaticae exemplum, in musices moderatore *Bruchsaliensi*, viro scrophuloso, a nobis quondam repertum, alibi descripsimus *). Non indignus idcirco attentione nostra vesicae hic descriptus scirrhus est, ut sub quo nec intestini recti, nec alterius partis scirrhosae, vesicae propioris, mentio injicitur. Impetigo, *anthracis*, ut videtur, species, hunc vesicae morbum praecessit. Disperso, per frigus, hoc vitio cutaneo, ad renem sinistrum dolor primum oritur, obtusus quidem, sed continuus, ad anteriora interdum, et ad pubem usque extensus. Huic sese mingendi difficultas ac febris exigua associant, mox iterum, superstite semper renis dolore, dispulsa. Augentur nunc urinae, quae flocculos, partim graves, et fundum petentes, sanguine simul striatos, offerunt. Hucusque certe *nephralgiae* magis, quam *nephritidis* urgebant phœnomena; nec enim aut febris violenta, per multos satis dies extensa, nec vomitus, nec dolores colici, nec stupor cruris, aut testiculi retractio,

*) In oratione academica, de vesica urinaria ex vicinia
morbosa aegrotante.

urgebant. Flocculi etiam illi albescentes, partim fundum in multis urinis petentes, puriformem materiam sistebant, sub quorum exitu, renum morbi inflammatorii solutionem praedicere sueverunt. Monuimus interim in *Epitomes* L. II. §. 258. p. 289. vel in ipsa *nephritide*, „dolores, sub morbi principio, magis esse obtusos, tendentes ac prementes.“ Adhortati etiam tirones nostros sumus ibidem, §. 256. „quod, licet renum inflammations, si calculorum in eosdem effectus excipientur, rarissimae quidem videantur; quod interim saepius ac putatur, *occultae* his in visceribus *suppurationes* occurrant.“ Ac revera, non vomitus quidem, aut ructus, sed macies corporis gradatim aucta, dolores sub mingendo, qui antehac defuerant, mox aegrum nostrum, atroces, cum immani ad renem sinistrum cruciatu, cum alvi constipatione, tenesmo, sensu resistentis ad ostium vesicae obstaculi, et respiratione anxia corripiunt. Tardius tandem febris lenta, sub vesperis aucta, accessit. Atqui sub cadaveris sectione, ren sinister adeo consumtus fuit, ut nihil de eo, quam pelvis ejus fluctuans, supermanserit.

Evidens igitur renis inflammatio in sup-

purationem conversa, et quidem *non ex calculis orta*, hic subfuit. Nec etenim paucas illas arenulas, quas aeger una cum grumis sanguinis minxit, et quas in sanorum adeo hominum urinis haud raro conspicimus, hoc malum excitasse cum ratione quis asseret. Miramur interim, nullam *puris* cum urina simul excreti mentionem in morbi hujus historia injici; sed alia sunt, sub quibus, utpote majoris momenti phaenomenis, puris excretione, forsitan simul facta, praetervideri omnino potuit. Cum scilicet aeger tres integros per menses descriptis a doloribus, et a sensu illo haerentis ad vesicae ostium obstruendi vexatus fuisse: mingendi tandem iterato conatu, ille, corpus quoddam sanguineum et grumosum magno cum impetu in oppositum parietem e vesica expulsit, mox vero sanguinis ex ea jacturam tres integras ad libras passus est. Ubi de *haematuria vesicali* egimus in *Epitomes* L. V. §. 630. p. 280. simul his de grumis sanguineis ac *polypis*, post mictum sanguinis saepe magno sub nixu e vesica expulsis, locuti sumus, ac neminem sane medicorum latet *Trallesii* de polypis vesicae copiosis et praelongis, ab amico sibi *Hahnio*, parturientis quasi mulieris sub nixi-

bus, expulsis, observatio. Hac demum sanguinis jactura per vesicam subsecuta, vires aegri, mox a lipothymia correpti, concidunt, ac vitae finem proximum adnunciant. Nova tamen, ac priore intensior haematuria, per tres dies extensa, suboritur: a qua demum omnimoda urinae, ac *purulentae materiae*, (de qua primum hic mentio facta est) suppressio, lethali mox, nec tamen cicutae usui adscribendo, cum exitu, insequitur. Quo ex fonte sanguis ille, tum in grumos polyposos conversus, tum sincerus, defluxerit, dubium illi subnasci vix potest, qui descriptum vesicae statum scirrhosum et carcinomaticum attente consideraverit, et quam commune symptoma haemorrhagiae sub scirrhis esse soleant, secum reputaverit. Mollem scilicet sana duplo majorem, pondus vero duarum librarum habuit vesica, inaequalis, tuberosa, ulceribus quasi lacera, abscessibus adhuc clausis hinc inde obsessa; fungosa vero substantia ejus cavum, praeprietum crassitie vix trium unciarum lotii continentarum capax, implebat. Haec fungosa vesicae internae substantia sine dubio cruoris sub morbi fine tanta copia effusi unica scaturigo fuit, et carcinomaticam hujus visce-

ris indolem ultro confirmat. Admodum verisimile nobis videtur, illam ipsam causam, quae prius, anthracum sub forma, cutem exederat, qualiscunque ea fuerit, tum in renis sinistri, tum in vesicae urinalis substantiam effectu lethali saeviisse. In quo, certa nimis apud varios, ad *cancrum* dispositio haereat, hoc omnino nec hariolatu quidem pernoscimus; quod vero cancer per sectionem extirpatus, saepe alias in partes non minore cum atrocia furiat: hoc flebili convincimur experientia.

*Vesica urinalis in crumenam lateralem
extensa.*

Joannes Dominicus Caranti, presbyter 73 annorum, ex loco *S. Leonardi*, venationi maximopere deditus, die 27^a Septembris 1786, dum carnem suillam aromatibus conditam comedisset, tres circiter post horas incidit in vomitum. Hoc cessante vomitu, aeger, nec quidquam sublevatus, dolorem punctorium ad regionem lumbarem, paulo supra ossis ilei cristam, versus posteriora sinistrorum, eumque fixum persentit; qui dolor per quatuor dies continuavit cum sic-

citate, amarore oris vel maximis, ac siti. Oscitatio simul ac pandiculatio, et levis horror, sine ordine hominem invadunt. Accersitus chirurgus venam tundit, et olei olivarum uncias circiter quinque propinat. Evacuatur abhinc alvus, ac dolor sopitur. Post quinque dies, hic, vehementior, dexteram ejusdem regionis partem occupat. Ignotas nunc pilulas, a medico praescriptas, absque omni effectu aeger hausit.

Die 7^a Novembris, viribus insigniter fractus, ac dyspnœa correptus, primum quidem ad nosodochium, dein vero propter aliorum aegrorum in eo numerum, in clinicum *Tici-nense* Institutum, quasi moribundus suscipitur *). Abdomen, tactu quidem indolens, sed durum atque tumidum, manuum pressioni resistens, tribus veluti promontoriis, seu tumoribus divisum est: qui tumores, non eadem quidem, sed ordinata quadam altitudine, gradatim, ab inguine dextro, circa intestini cœci regionem, oblique sursum, ita ut medius, super pectine, tertius vero

*) Tales nos aegros haud raro, sine difficultate, suscepimus; quos, ubi eos per artem conservari haud licuit, in usus tironum a morte secuimus, et si quid notatum dignum cadavera eorum obtulissent, museo id pathologico commisimus.

ejusdem a latere haereret, ad sinistri confines hypochondrii, attollunt. Febris aegro vix ulla, sed pulsus exilis ac debilissimus est. Ille cum fomentis calidis, et vini pauxillo refocillato, num a multo jam tempore descriptos abdominis tumores animadvertiset? quaestionem proponimus. Respondet: ante primum illum in sinistra regione dolorem, nec tumorem, nec alvi obstructionem, qua nunc laboraret, sibi fuisse cognita.

Ob summam viri jam antehac adspectu cachectici, debilitatem, atque ob dyspnœam, vesicantia suris imposuimus. Ab enemate simul injecto, alvus ter, satis copiose, excreta fuit. Nocte subsequente dormivit aeger, et vires a somno restauratas, pulsus magis elevatos, respirationem vero faciliorrem exhibuit. Postquam sic diem sat bene transegisset: ad noctem inquietus, de oris magno amarore ac de alvi obstructione senex conqueritur. Salis igitur amari uncia porrigitur, clysterque applicatur. Sequuntur sedes aliquot; sed pristina symptomata continuant. Hinc pulvis rhei cum calomela prescribitur, inquietudo nocturna per sex fere dies nihilominus continuat.

Decima septima hinc die decoctum corticis

ordinatur. Adpetitus abhinc redire quidquam, et somnus augeri videntur; sed post duos dies, versus noctem, obtusus circa tumores abdominis (quos pro cysticis habebamus, ab aegro modo tardius per tactum observatis) dolor accusatur, urina vero nulla excernitur. Ventri linimentum inungitur volatile, ac praeter potum ex radicibus graminis, tartari solubilis drachma dimidia ter in die exhibetur. Nec tamen exinde aut faeces, aut urinae motae, aut dolores sopiti fuerunt, nec somno aeger gavisus est.

Die 21^a. Venter quidquam ad contactum dolet magis; tres vero illi tumores in unum quasi coivisse videntur, intumescente quidquam abdomine. Enema nunc injicitur, ac nisi urina simul secedat, catheter ad vesicam duci jubetur.

Die 22^a. Urinis, ut referebat, cum paucis faecibus excretis, catheteris usum suspenderat chirurgus. Alterum enema injicitur. Nec hac tamen die, nec altera, aut urinae, aut faeces redduntur. Catheterem adplicari repetito jubemus; hujus vero loco clysterem injiciunt, et cum faecibus, urinae simul excretionem exspectant. Post medium noctem, aegrum anxietas invadit;

e lecto surgit, pedibusque erectus insistit; ad lectulum vero repositus, jactatur hinc inde, custodem in auxilium invocat; mox vero, corpore sinistorum contorto, illius inter brachia exspirat.

Sectio cadaveris.

Cadaveris, quacunque ratione tractati, etsi horis triginta sex a morte jam elapsis, nulla rigiditas, sed undique molle illud atque flaccidum observatur. Abdomen interim livescit. Tumores nunc quasi *bipartiti* tactu percipiuntur in illo. Sectis primum ac separatis thoracis integumentis, cartilagineis, quae costas cum sterno revinciunt, osseam in substantiam conversae reperiuntur. Cavo pectoris aperto, pulmones sani, filis hinc iride pleurae adnexi, comparebant. Pericardio inciso, aquae rubellae unciae fere duae effluebant. Musculi abdominales quamplurimum extenuati erant. Aquae subrubrae, paucae tamen, abdominis in cavo haerebant. Intestina tenuia, sub hypochondrio sinistro compressa. Hepar magnum, et livido colore instructum, altius versus pectus assurgebat. Ad utrumque nunc umbilici latus, tumores duo, sat molles, quasi cystici, ad

posteriorem faciem in unum confluentes, anteriore vero cum peritonaeo, vasculis intermediis, quidquam concreti, se offerunt: quos tumores ex ipsa vesica conflari, mox intelleximus. Separatis a peritonaeo vesicae his tumoribus, hos inter et faciem peritonaei internam, adeps, supra pubem collectus, haerebat. Tumor dexter cum intestino cœco cohaerebat. Omnis vero tela cellulosa, quae tumores cum partibus vicinis, utrimque et posterius cum pelvi, anterius autem cum osse pubis, revinciebat, aqua rubelli coloris madebat. Tota facies tumorum anterior a peritonaeo obtegebatur. Viscera abdominis, his a tumoribus compressa, inter se coerulerant. Immisso vesicae cathetere, urinae *octoginta circiter unciae* effluxerunt. Aere vero tunc in vesicam compulso, ordinarium quidem haec volumen offerebat, oblonga tamen; sed adhaerens ei ad latus dextrum saccus alter, cum vesicae cavo communicans, comparebat. Haec moles, fere pellucida et tenuis, a spatio duorum fere pollicum diametri, inter fibras vesicae musculares prominebat, atque ex vesicae interna membrana, inter fibrillas vesicae carneas, minime justo crassiores, prominente, conflabatur. Pluribus

ribus in locis vesicae, parvi tumores semi-pellucidi prominent inter fibras illius musculares, qui, sub vita aegri protracta, probabili argumento, easdem in crumenas extensi fuissent. Prostata glandula volumine suo multum aducta et scirrhosa fuit. Experimur tantum a morte aegri, quod tribus abhinc annis haematuria ille laboraverit.

Tabula II.

aaa. Vesica urinaria.

bbb. Crumena maxima.

cccccccc. Crumenae minores ad faciem vesicae anteriorem et lateralem.

dd. Ureteres.

e. Cervix vesicae cum prostata scirrhosa.

f. Intestinum rectum, obiter delineatum.

E p i c r i s i s.

Plura quidem *diverticulorum, appendicum herniarum, cellularum*, ad vesicas hominum urinales exempla in fastis medicis consignata legimus *); non inutilem interim operam in

*) Magni quondam viri *Isaaci Casauboni* obitu jam nimis celebris hic morbus fuit. Vid. apud *Bonetum* in *sepulchret. etc.* cuius multum cum nostra commune habet observatio. De eodem loquuntur *Coiter*, exercit. e obs. anat. c. fig. Norimb. 1573. *Berger*, hist. de l'acad. des sciences, Année 1704. obs. anat. 22. *Bohnius*,

publicanda conspectae a nobis quoque tam mirae aberrationis historia nos posituros esse speramus. Conscriptis hanc, qui aegri curam sibi assumserat, vir egregius, ac indefessus per septem fere annos auditor et amicus noster, *Vincentius Solenghi*. Vesicam abnormem, de qua agimus, et cuius delineationem fidelem hic tradimus, museum pathologicum *Ticinense* conservat.

Nec *herniae* nomen huic vesicae urinalis morbo satis convenire credimus, eo quod nullum viscus in saccum morbosum abscesserit, nec *diverticularum*, *appendicum* illud quadrare, quod in his; omnes visceris alicujus tunicae simul, praeter sanitatis leges, dilatatae ac in longum ductae sint, putamus. *Crumerarum* hinc nobis praepaluit denominatio. Sunt vero hae, tunicarum vesicae in-

de officio med. dupli, p. 516. *Heister*, Institut. chirurg. P. II. C. CXLV. Tab. XXXII. fig. 2. *de Broke*, de vesicae urinariae appendicibus. Argentorat. 1754. *Morgagni*, adversar. anat. III. animadvers. XXXVI. p. 92. Id. de sed. et caus. morb. Epist. VII. n. II. Ep. XLII. n. 30. *Houstet*, obs. sur les pierres enkystées. Vid. mém. de l'acad. R. de chirurgie. T. 1. p. 395. *Bordenave*, mém. de l'acad. des Sc. de Paris 1775. Plures auctores collegerunt *Voigtel*, Handb. der pathol. Anat. 3. B. S. 236-241. et *Conradi*, Handb. der path. Anat. S. 269.

ternarum, seu villosae, ac nervosae, exte-
riora versus, inter secedentes hujus visceris
fibras musculares, insinuatio, ac in saccum,
plus minus extensem, vesicae ipsius parie-
tibus integris tenuiorem, ac semipellucidum,
nunc ipso cum peritonaeo vesicali, nunc sine
isto, dilatatio. Ipsae cordis fibrae carneae,
observante jam *Hallero*, uterino adhuc in foë-
tu aliquando ita dehiscunt: ut membrana
hujus visceris nobilissimi interna, inter illas
fibras, externae tunicae contactu mutuo sese
adplicet, ac futuri, sub vita quidquam pro-
tracta, *aneurysmatis* rudimenta, congenito sic
vitio, ponat. Nec morbo nostrò, ad spe-
ciem hanc *aneurysmatis* formandam, nisi
loci in arteria, et cruris, in vicem urinae,
per rythmos in suos parietes adpellentis, con-
ditio deest. Cum vero nullum in vesicae uri-
nalis superficie punctum sit, ex quo sacci
hujus indolis aliquando non exsurrexerint;
atque illi ad ipsum urachi locum, vel quo
ureteres vesicam perforant, spatio *), ob-
servati fuerint; etsi hoc ad latera cystidis
forsitan frequentius contingat **); exspecta-

*) *Walter*, Krankheiten der Nieren und Harnblase,
S. 45. Tab. XIII. *Heister* l. c.

**) *Lobstein*, Diss. de calculis vesicae urinariae cysti-
cis. Argentorat. 1775. p. 5.

bimus sane, quasdam ex his crumenis, peritonaeum vesicam superscandens externo pro vestitu, densiores tunc, mutuari. Prout vero fibrae musculares vesicae, quidquam magis conspicuae ac fortiores, tumores ejusmodi amplectuntur, pseudosphincteris quasi officium in hos sibi, imperfectum interim, assumunt. Vix non semper tamen hae crumenae, non latam adeo, et ad basin compressam, qualem fibrae dehiscentes lagiri videntur, sed sphaericam figuram agnoscunt; prima interim rudimenta, ovalem fere, aut verrucosam quasi formam produnt *). Numerus saccorum dictorum, diversis in vesicis varius est. Sex eorum meminit Nourse **); plurimos Houstetus adnotavit ***). Nostro in exemplo, praeter maximum saccum, novemdecim crumenulae vesicam obsident. Calculos saepe hi sacci, etiam singuli †), — alii, plures simul ‡), — alii vero nullos in se fovent. In vesica pueri, cuius infra imaginem subjungimus Tab. III, calculus qui-

*) Videatur Tabula II. lit. cccccccc. Tabula III. lit. ccc.

**) Medical Essays and observations, Vol. VII.

***) I. c. p. 396.

†) Houstet I. c.

‡) Nourse, I. c. novem calculi in sex crumenis.

dem in vesica libere fluctuans, sed nullus in crumenis, forsitan adhuc nimis angustis, haesit; manifesto satis argumento, has ultimas ab illo nequaquam genitas fuisse. In presbyteri autem vesica, tot protuberantiis notata, nullus omnino calculus repertus fuit.

Ad originem hujus morbi in genere quod spectat, varias illas esse, supponimus *). Dispositionem in variis hominibus vesicae congenitam, in paupo fibrarum muscularium aut numero, aut nexu lateral, aut in earundem infirmitate consistentem, subesse vix dubitamus. Si fibrarum laxitas muscularium huc sola faceret; in faeminis, in quibus uterus gravidus vesicam toties utrimque in latera complanat; et quibus fibrae in genere laxiores sunt, frequentius quam in viris, cum tamen contrarium obtineat **), crumenae hoc viscus infestarent. Prostatae apud mu-

*) Circa generationem crumenarum vesicalium dubius haesit celeb. *Baillie*, atque sedem illarum vel in tela cellulosa ad externam vesicae faciem esse ponit; vel illarum principium in dilatatione membranarum vesicae internarum, consistere credit. Primum illi minus verisimile videtur, quod tunicae vesicae internae, ut crumenae cum vesicae cavo communicaret, suppuration, ac tandem perforatio forent necessariae. Vid. Sammlung auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte. XX B. S. 427.

**) *Baillie*, l. c. S. 179.

lieres defectui, urethrae brevioris, simulque latioris, majori ad calculos demittendos facilitati, ac rariori lotii retinendi, quam in viris, occasione, hanc exceptionem tribuere, vetant: innumeri tumores prostatae cum paucis vesicae hujus indolis affectionibus; frequens crumenarum vesicalium absque calculis observatio; ac uberior in gravidis mulieribus, quam in viris, urinae retentio. Nec de *cystide fellea*, fibris scilicet muscularibus carente, valere haec ratio potest; in qua tamen non minus, quam in vesica urinaria, *sepimenta*, illam cystidem tam in longum, quam in latum dividentia, reperta fuerunt. A vi fibrarum muscularium vesicae densioris aucta, et majore illarum in urinas pressione has crumenas produci *), opinio est, quae nostro saltem in aegro, cui crassior, carnosior vesica haud fuit, argumento destituitur. Si tanta calculorum in producendis his crumenis esset potentia; prae pondere illorum hi sacci aut ad cervicem, aut ad partem posteriorem, non vero sat saepe supremum, vel anteriorem vesicae ad parietem, quo calculi aut non assurgunt, aut certe non premunt, haererent crumenae.

*) Id. ibid.

Neque argumentum ex calculis his in crumenis repertis, ut in quos fortuito incidere, aut in quibus, jam praeviis, nasci potuerunt, majus erit.

Praeter *congenitam* certarum vesicarum hunc in morbum *dispositionem*, credimus igitur, vel in fibris illarum quibusdam, *partiali paralysi* affectis, vel in *textus cellulosi* his fibris *intermedii* *destructione*, vel saltem in istius *repletione*, *extensione lateralī* per materiam lymphaticam, puriformem, sub phlogosi vesicae in tremulam ac facile extensilem gelatinam hic depositam, causam morbi de quo agimus, sicut quondam de generatione **multorum** *aneurysmatum* insinuavimus (*Epitomes lib. V. P. II. §. 571. p. 55.*) esse quaerendam. Quodsi occasionalibus hisce sub conditionibus diurna majorque urinarum retentio accedat; facilis sane erit divergens fibrarum aut resolutarum, aut nullo cum vicinis nexu instructarum, aut molliore, facile cedente materia ultra quam par est divisarum, dissessio. Constat nempe, fibras vesicae musculares, sub morboso earum incremento, non ut coeteras muscularum strenue exercitorum fibras, rubere magis; sed potius *albescere*, ac tendinum colorem simulare. Au-

ditor quoque noster, quem supra laudavimus *), dum experimentum cum vesica urinali, crassioribus, a calculi irritatione, fibris muscularibus instructa, ope *macerationis* instituisset, vidi illas colorem in aqua partim deposuisse, et materiam quae fibras novas quasi creasse visa erat, in tomentosam, ac *cellulosae* similem telam abivisse.

Quodsi igitur supponamus, presbyterum nostrum, a tumore prostatæ glandulae scirrhosæ multum aducto, et, quod modo a morte ejus percepimus, ab haematuria corruptum, quin de his unquam mentionem facere voluisset, urinae retentionibus aliquoties in vita fuisse subjectum; nisi congenita forsitan ad illius vesicam dispositio rem sola jam explicet, superaddita vel huic, vel resolutioni fibrarum quarundam vesicalium, vel praegressae in viis urinalibus phlogosi, et interpositae fibris vesicae muscularibus materiae puriformi necdum solidiori, et extensione vesicae facilius cedenti, *ischuria*, nodum hunc difficilem solverat. *Tres* in viventis aegri abdomen *tumores*, — in ejus vero cadavere modo *duos* comparuisse: id nos ita no-

*) D. Dell'ù. vid. observ. de vesica urinaria cordis figuram habitumque aemulante.

bis explicuimus: quod compressum in dextris a tumore vesicae intestinum colon ascendens, flatus et stercore in *coeco*, inferiore sibi intestino, per hos ipsos extenso, coheruerit.

Altera vesica urinalis in crumenas extensa.

Duodecim circiter annorum puer rusticus, brevi tempore post suum in nosodochium *Ticinense* adventum, ex morbo nobis ignoto defunctus, et ad amphitheatrum anatomicum delatus, sub sectione cadaveris, vesicam exhibuit, cuius fidelem hic imaginem exponimus. Prima hoc in viscere morbi, quem praecedenti in exemplo descripsimus, rudimenta, crumenae scilicet minores, inter fibras vesicae musculares prominentes, sed post urinae effluxum in medio collapsae, se offerunt. Ex minoribus protuberantiis plures, et, ut putamus, ortu posteriores, verrucarum fere formam agnoscunt, nec ad apicem collapsae comparent. Calculus in vesicae cavo libere fluctuans simul repertus fuit, qui, etsi vix nucem juglandem adaequans, grandior sane, quam ut a majore etiam illius crumena contineri,

atque illam sic produxisse potuisset. Prostata glandula hic aequo major non fuit; nec abinde certe obstaculum excernendae urinae ponî potuit. Nec tanta fuit vesicae in cava-
vere expansio, ut ex urinarum retentione mortem pueri venisse credi queat. Calculus hac in vesica contentus, cervici ejusdem interdum admoveri, ac urinae sic effluxum praepedire, hinc fibras vesicae musculares ad fortioriem in urinas contractionem stimulare potuit; sed ex hac actione tot crumenas, in suprema adeo cystidis parte, venisse, ex eo non videtur probabile: quod fibrae muscu-
lares irritatae et contractae, minus a se ipsis dehiscant, ac firmorem tunicae vesicae internae obicem, quam ut haec inter illas suscipi, ac extrosum protrudi queat, obicem ponant. Concludimus igitur, quod (cum nec prostata glandula, nec ipse cal-
culus inculpari hic potuerint, et cum hae crumenae jam saepius absque calculis ad ve-
sicas observatae fuerint) saccorum vesicae externorum, ex solis tunicis hujus visceris villosa et nervosa constantium origo, pleris-
que saltem in casibus, a congenita vesicae in certis locis inertia, fibrarumque ejus mus-
cularium hinc illinc aut defectu aut laxita-

te, paresi, magis, quam ex causa quacunque alia, si retentionis lotii diurnae occasionem excipiamus, derivanda sit.

Tabula III.

aa. Vesicae pars lateralis et anterior.

bbbbbbb. Crumenae in medio collapsae,
ccccccc. Protuberantiae quasi verrucosae.

dd. Prostata glandula.

Vesica urinaria, in cava duo divisa.

Provectae vir aetatis nosocomium civitatis *Cremensis*, paucis ante mortem diebus, emaciatus, et a febre lenta consumptus, accessit. Sub abdominis exploratione, tumor, super osse pubis ad umbilicum usque extensus percipiebatur. Duplex hic tumor erat, utrumque fluctuans et a linea alba quasi in medio divisus. Postquam aeger urinas excrevisset, subsidebant quidem hi tumores; ast aliquis ad anteriorem eorum faciem tumor mollis tactui se obtulit. Post ea, quae celebris *Troja* de morbis vesicae tradiderat, hoc viscus scilicet vel per sepimentum in longum decurrens, vel per vallum, ex appli-

citis sibi mutuo duarum vesicarum parietibus constructum, duas interdum in **caveas**, ad exemplum cystidis in actis R. Academiae chirurgorum T. IV. p. 62. descriptae, dividi; non obscura morbi diagnosis esse potuit. Interrogato aegro: „num in sua juventute hunc ad locum dolores acutos persenserit? an difficulter, an vero cum ardore urinam reddiderit? an sibi quandoque lotium perfecte fuerit suppressum? an sub statu praesente, antequam mingeret, compressione quadam indigeret?“ — „facilem sibi semper urinae excretionem fuisse, ac adhucdum superesse,“ respondit. Quo tamen hujus assertionis veritatem ipsem et cognoscerem, urinae excretioni praesens esse volui, ac urinas ab aegro, pleno flumine, ad ultimam usque guttulam, absque omni labore expelli, conspexi.

Sectio cadaveris.

Postquam fatis aeger cessisset, cadaveris sectionem fieri imperavi. Etsi vero rem tanti momenti chirurgo nosocomii enixe commendassem; ille tamen, vesicam hanc, ubi recte de illa judicassem, a me velle conservari inscius, non debitam in eadem exscindenda curam adhibuit. Qualemque ta-

men Tibi, Vir clarissime, in usus Tironum transmittio.

Carolus Pinaroli, M. D. Medicus Civitatis *Cremensis* expertissimus, hanc nobis observationem, pro sua in nos amicitia, communicavit die 28 mensis Martii 1792, ut cuius objectum ad museum *Ticinense* pathologicum deposuimus.

Plura vesicarum, per proprium sepimentum a fundo ad cervicem, — aliqua transversim, divisarum, — quidquod tripartitae adeo vesicae, exempla habentur, atque huic fabricae abnormi, non minus, quam illi, quae *erumenas* laterales offert, numerum vesicarum uni homini concessarum, ut volunt, maiorem, plerumque saltem attribues *). In dicta vesica, cuius duplicem imaginem, anteriorem unam, Tab. IV. N°. I. lit. AA. alteram, posteriorem, N°. II. lit. BB, hic tradimus, parietem ambobus saccis, profunde divisis, intermedium sat brevem, per dgitos, exterius, et per specillum, interius distinguimus, lit. c. c. Cuivis sacco, ureter unus bb. fig. II. cc. inseritur, qui unam modo, non

*) Plurum vesicarum, uno in homine observatarum, collectionem dedit, *Voigtel*, Handbuch der pathol. Anatomie 3. B. p. 234 — 236.

duplicem vesicam esse ostendunt. Ad aetatem proiectum venisse aegrum hac abnormi vesica instructum, nec ullum eundem ab ista salutis incommodum persensisse, legimus. Quantum interim intersit, hanc abnormem hominis cystidem non praetervideri, ex casu, quo *calculus* ex illa, per sectionem extraheundus foret, sat clare elucet. Quod si vero urinæ retentio cum tumore hypogastricae regionis, in tali homine, vesicae punctionem sibi requireret; haec autem perforatio, propter magnum prostatae tumorem, per anum fieri nequiret; in medio saltem tumorum sibi aequalium, quo loco sepimentum nostro in casu haesit, peracta operatio, vesicam non nisi dimidiā depleret; sed in parte laterali, non sine laesionis arteriae hypogastricae discrimine, instituta, mox aequalem sibi in parte altera exigeret. In casu a *Fothergillio* descripto, vesica viri sexagenarii urinalis, per membranam transversim tensam, duas in partes divisa fuit; haec vero membrana per foramen, quod minorem digitum admisit, cum utraque vesicae camera communio-nem aluit *). Non eadem interim in aliis

*) Memoirs of the medical Society of London Vol. I.
No. XII. p. 201. Similem fere casum jam descripse-

vesicae sepimentis constitutio detecta fuit; et quae urinas ex uno cystidis cavo eduxisset, alterum intactum reliquisset, operatio. Catheter vesicae, sub dupli hypogastrii tumore, mature satis immissus, num utrumque illius cavum a lotio educto subsideat, num vero unum ab isto turgere continuet, docebit; in casu vero, quo fistula in vesicam ferri non posset: hoc etiam diagnosis deficiente subsidio, solius ope tactus, num compresso uno tumore, alter magis tensus elevertur, et vicissim, de communicatione cavarum vesicae vel praesente, vel absente, foret judicandum. In casu vesicae transversim divisae, ex *Ashii* observatione, a *Baillieo* relatedo, superior vesicae cavitas globosum super pube tumorem efformaverat, ex quo, per catheterem modo paucae urinae unciae, tumore sic parum subsidente, educi potuerant. Sub erecta vero aegri positione, lotium interdum absque voluntatis imperio, magna copia, tumore pro tempore imminuto, se-

rat *Gerardus Blasius*, in observationibus medicis rarioribus; Part. IV. Obs. XVIII. p. 59. Recentiorēm hujus indolis observationem, a Doctore *Ash* sibi communicatam, refert *Baillie*. Vid. Sammlung auserles. Abhandl. f. pr. Aerzte. XX. B, S. 427.

cedebat. Sectio cadaveris, orificium sepimenti pridem, cum utroque vesicae cavo communicans, vix non in integrum obliteratum exhibuit. Transversae igitur divisionis vesicae diagnosin Vir hic celebris in tumore super pube conspicuo, atque circumscripto ponit: sub quo tumore parcior urinae quantitas, quam sanis, cum pauca illius subsidenzia, secedat, vel ab ipso siphone subduci queat; dum interim, sub mutata aegri positione, urina sponte, vel plurima sequatur, ac vesicae moles morbosa, donec ea de novo repleatur, dispareat. Divisionem vesicae urinalis in duo cava, *Baillieus* vel ex internae tunicae cystidis excrescentia in sepimentum continuata, vel ex contractione fibrarum transversarum *permanente* derivat. Haecce contractio, cum spasmodica ac temporaria uteri, in medio sui, ad figuram *horologii arenarii*, constrictione conspirat *).

Scirrhous vesicularum seminalium.

Scientiae medicae lacunas, quas explere provoto impedimur, saltem, donec facilior ad eas

*) De tali uteri constrictione jam egimus in oratione academica, *de utero placentam incarcerante.*

ead aditus pateat, exsiccare, jam satis est. Impenetrabile ingenio humano generationis negotium, ob limites quos illi Natura posuit, maneat nobis incognitum! modo morbos organorum, quibus suum ad opus haec utitur, eorum modo phœnomena, origines medendi que rationem intelligi nobis liceat, et minus aspera nos premet necessitas ignorantiae. Sed, si modo utriusque sexūs organa genitalia, quorum usus nec brutis animalibus incognitus est, excipias, de quibusdam aliis sat parum, de penitioribus vero nihil, quod insulsas hypotheses non oleat, perspicimus. Non mirum igitur, quod tanta physiologiae paupertas, in pathologia pauperiorē se filiam agnoscat; et quod, ut non nisi de morbis virilium loquamur, nec receptaculi quidem humano semini dicati vitia a longe nobis perspecta sint. Dimidiam illius partem, sub vasis deferentis, tunc largioris, supplemento, defuisse, — ostia ejusdem caecutiisse, — utriusque vesiculae, aut saltem unius ex istis, capacitatem praescriptam defuisse, — parietes illarum ossas hinc inde particulas concepisse, — infarctu easdem scrophuloso laborasse, — ex partium vicinarum incendio deflagrasse, aut

in tabum purulentum abivisse, — haec quidem vel uno modo, vel altero exemplo educti fuimus; sed quibus sub signis, huic modo organo propriis, hi morbi incesserint, id sane vel exercitatissimos in arte viros latet. A *scirrho* quoque vesiculas seminales posse corripi, unico modo quod sciamus, apud *Morgagnum* exemplo constat: ut qui unius modo lateris vesiculam, ac vasis deferentis, huic contigui, partem, duriores ac vix non cartilagineas fuisse commemorat *); quin *hujus generis*, summa vel *Bailliei*, vel *Soemmeringii* experientia quidquam his addiderit. Totius quidem receptaculi seminiferi *scirrum* praegrandem, sed nulla cura e cadavere exsectum, et (quod magis dolemus) absque morbi historia nobis aliunde oblatum, nihilominus vero museo pathologico *Ticinensi* a nobis commissum, — unicum scilicet ut longae catenae annulum, etsi mancum ac rubigine obductum, talem tamen, cui aliorum solertia saniorem quondam utiliter adnectat, Lectoribus hic exponimus.

Tabula IV. n. III.

Facies vesicae urinariae anterior.

aa. Densitas parietum.

*) De sed, et caus. morb. Epist. XLVI. Art. 5.

bb. Ureteres.

cccc. Vesiculae seminales scirrhosae.

dd. Pars prostatae scirrhosae.

Tabula IV. n. IV.

aa. Facies vesicae urinariae posterior.

bb. Ureteres.

cccc. Vesiculae seminales scirrhosae.

dd. Pars prostatae scirrhosae.

Ex his appareat, scirrum vesicularum seminalium, quem hae figurae repraesentant, cum scirrho prostatae simulac parietum vesicae cum aucta crassitie incessisse; atque hinc, probabili ratione. dictas vesiculas ex vicinia morbosa magis, quam ex affectione propria primum induruisse, ac sortem cum prostata, cum qua intimius intricatae sunt, communem subivisse. Vesicae urinariae, etsi vacuae, non tamen collapsae, satisque extensae figura, de parietum hujus visceris non modo crassitie aucta, sed quoque de indole eorum vix non cartilaginea, testantur. Etsi vero prostatae tumores omnis generis, et qui pelvis cavum vix non omne impleverint, viderimus; nunquam tamen illos in vesiculos seminales aliter, quam easdem comprimendo ac oblitterando, egisse conspeximus. Coeterum, sub tanta

horum receptaculorum cum prostatae scirrho implicatione, specifica tamen eorundem, ac intestinorum gyris similis quasi inflexio, sicut separatio a glandula prostata, adhuc satis conspicuae sunt. Vesicularum simul positio, sicut in casu a *Baillieo* descripto *), altior est.

Scirrus prostatae in vesicam prominens.

Carolus Cassani, ex Zeccone, rusticus, annorum 78, vir bibax, jam ab anno dysuria cum dolore ad glandem adficitur. Ab octodecim diebus ischuria perfecta, cum frequentibus ac dolore plenis mingendi conatus, laborat. Vesica, cum aeger die 24^a mensis Martii 1793 nosocomium *Ticinense* petiisset, pyriformis, extensa super pube tactu percipitur, nec tamen ab isto dolorem significat. Febris nulla observatur. Extrahitur ope catheteris urina, decoctum althaeae pro potu, fatus regioni hypogastricae emollientes, primo vero balneum tepidum, praescribuntur. Ob aliquem oris amarorem, alisque lentorem, pulpa tamarindorum in sero lactis soluto propinatur. Continuatur aliquamdiu in

*) A series of Engravings etc. fascic. 7. Plate I. fig. 2.

istis. Urina bis terve in die extrahitur. Tandem superaccedunt singula *cystitidis* symptoma; ob summos supra pubem dolores in ejulatus rapitur aeger; maxima adest anxietas, jactatio; pulsus contracti sunt, lingua arida, alvus arida, facies collapsa. Venae-sectiones aliquot instituuntur, adplicantur hirudines. Sanguis per illas detractus, denso semper corio obducitur. Continuantur demulcentia, balnea, fatus, clysteres parva dosi frequenter injiciuntur. *Die interim 31^a Martii miser fato cessit senex.*

Sectio cadaveris.

Vesica cum urethra et pene simul cadavere extractis, ut penitiora vesicae paterent, sectio longitudinalis, primum satis parva, in parte ejus antica instituta fuit. Tumor illico ovalis, nucis avellanae magnitudinem aequans, levissimus, scirrhoideus, tantillum mobilis, in vesicam prominens, retro istius ostium, prope ejusdem in urethram ingressum, in conspectum prodiit. Hunc tumorem quaquaversum examinando, illum prostatae glandulae simul insigniter tumentis, retro vesicam alte ascendentis, ac scirrhosae partem esse comparuit. Catheter intro-

ductus, viam in vesicam facile inveniebat, tumore illo retroposito id minime praepediente, sed pauxillum cedente; ast vero catetherē retracto, urethrae ostium hermetice occludebatur. Incisione per omnem vesicae faciem anteriorem in longum aucta, hujus visceris parietes crassiores repertae fuerunt. In postica vesicae parte, quoad imum ejus fundum, colore haec atro-rubente, ac vere gangraenoso erat depicta.

E p i c r i s i s.

Ad virum doctissimum, ac in cadaverum perlustrationibus pathologicis maxime sedulum, *Joannem De Felici*, M. D. et musei pathologici *Ticinensis*, cui haec vesica morbosa commissa fuit, custodem, haec morbi et sectionis historia pertinet.

Non quidem rara sunt tumorum prostatae maximorum, in ipsum etiam vesicae cavum prominentium exempla; neque ob id, rei sat communis vel descriptionem, vel adeo effigiem hic tradi conveniret, nisi pars hujus glandulae schirrhosa tumorem ad ipsum vesicae ostium, qui *valvulae* quasi officio fungebatur, constituisset. Sub tanto prostatae tumore scirrhoso, difficillima vix non sem-

per, aut et prorsus impossibilis, catheteris introductio est; adducto vero in casu, facilis haec erat et quavis die aliquoties instituta fuit operatio. Operculum nempe illud rotundum, impulsui siphonis cessit; hoc vero retracto, exitum urinae spontaneum, quem vesicae, tot a tumoribus oppletae angustia frequentius sibi exegit, continuo impedivit. Cystitidem in gangraenam conversam, impedita vasorum vesicae actio, ac stimulus continuus satis explicant. Tabula V. vesicae ac prostatæ tumentis figuram habitumque exponit. Penis longitudo et crassities vix non monstrosa est.

aa. Vesicae parietes crassiores.

bbbb. Tumor prostatæ maximus.

cccc. Prostatæ tumores in vesicam prominentes.

d. Operculum cervicem vesicae opprens.

ee. Penis longissimus.

Scirrhos uteri virginæ.

Annorum triginta quatuor virgo, Cremonensis, *Elisabetha Antoniazzi*, a fluxu menstruo tardius salutata, catameniis vero posthinc modo paucis instructa, cachecticum

semper habitum offerens, anno circiter vigesimo aetatis suae menorrhagiae subjici incipit. Fluxus isti sanguinei non quidem cum impetu et copia majore contingebant, sed longius per tempus et per dies adeo viginti haud raro continuabant. Successit languor; adpetitus ciborum non quidem in integrum sublatus, sed in picam, ut vocant, et mala- ciam degenerabat. Praeterea moeror cum lenta febricula virginem tenebat. Sexies fere in anno fluxus ille uterinus recruduit; duobus vero annis elapsis, majoris momenti symptomata, parentes, ut medicos consularent, induxerunt. Institutum ab his examen, uteri tumorem, doloris expertem, duobus digitis supra pubem extensem adesse, docuit. Ab adhibitis remediis meliorem aegra conditionem nacta, medicis valedixit. Brevis tempore in pristinum statum relapsa, saluti propriae prospicere neglexit, donec post annos morbus summum fastigium attigerit. Exploratio tunc instituta fuit circa uterum. Copiosus ex isto sanguis coccineus, nec foetidus proruperat. Facies aegrae summopere pallescit. Sub abdominis attactu, tumor se manifestat, ad umbilicum usque pertingens et ad ilia extensus, sinistrorum praecipue,

ubi tumor separatus, ovum gallinaceum adaequans, sub fluxu per vaginam majore, ac sub attactu dolens. Os uteri, ut quarto graviditatis mense tumentis, sursum ductum, tangi non potuit. Pulsus minimi erant et celeres. Cutis calor parum a naturali distabat. Magna corporis macies, oris maxima amarities, ardor ventriculi aderant. Evacuatis cum pulpa tamarindorum et cassiae, sine impetu primarum viarum sordibus, amaror oris ventriculique ardor cessarunt. Lenia tunc adstringentia et elixir vitrioli cum victu ex carnium jusculis, cum ovi vitello remistis, praescripta fuerunt. Hac sub methodo profluivum ex utero quidquam videbatur imminui; sed febris magna aegram continuo vexabat. Ultimis decem fere diebus non sanguis sincerus, sed loturae carnis quidquam simile, pauca tamen quantitate, ex utero fluebat. Vires interim continuo magis fatiscebant. Corticis extractum cum aqua cinnamomi, aliaque remedia incassum porrecta fuerunt. Accesserunt demum ster torosa respiratio, jactatio continua, vaniloquia, pulsus minimi, sed aequales; ac viginti post dies creatori animam reddidit virgo.

Sectio cadaveris.

Vix adperto abdomine, magna moles, quatuor digitis et ultra super pubem prominen^s, ab omento tenuissimo, pinguedinis experite obtecta, conspectui se obtulit. Abducto omento, comparuit, hanc molem ex utero, albidissimo colore instructo, venire. Parietes hujus visceris, circa fundum, vix non membranacei, corpus uteri durum, cervix autem quasi cartilaginea et prorsus scirrhosa, os uteri dehiscens et crassius, fuerunt. Exsectus pelvi uterus, tres libras medicas cum dimidia ponderavit, digitisque compressus, quidquam fluidi continere videbatur. In cavo hujus visceris, tumor ruberrimus valde mollis, arcte uteri durioris substantiae infixus, haerebat. Vagina multo longior, quam ut per illam uterus in vivente aegra attingi potuisset, comparuit.

Epicondylis.

Non infrequens quondam sacrarum virginum morbus, tam *uberum*, quam *uteri scirrhosus* fuit. Cœnobiorum extra mœnia, longe rarer in pura *virgine*, quam nupta, aut vi-dua in fœmina; frequentior tamen *ovariorum* scirrhosa affectio est. Quodsi autem ob

hanc solam jam rationem praesens conservari merebatur observatio; alia utique notatum digna haec in se fovet, quae breviter hic tangimus. Sicut vitae sors longioris, brevioris; ita quoque morborum pars major *organorum*, ut vocant, quos injuriae externae ac metastases non generant, prima sui rudimenta materno in sinu, ac primo hominis in germine nobis ponere videtur. Evolvuntur haec mala potius, quam tardius producuntur; et sua morbi similes, quos hodie ortos supponimus, sicut ipsa longaevitatis, remota longe, incunabula habent. Sunt forsitan haec, quae *dispositiones haereditarias, congenitas*, vel majorem partis corporis unius p^{rae} altera *debilitatem*, non doctiore nominum selectu, vocamus.

Tardiora primum virginis nostrae, adspectu chloroticae, menstrua, et quidem sub initio pauca, vigesimo vero jam anno non tam menstrua, quam fere continua, etsi non copiosa sanguinis ex utero profluvia fuerunt. Hucusque chloroseos magis, quam localis morbi, pro summo uteri in omne mulieris systema imperio, symptomata sistebantur. Post duos ab his incommodis annos, scirrhi, duos digitos super pectine prominen-

tis gigantea vix non primordia deteguntur. Crescent haec passu celeri, et aliquot iterum post annos jam pelvim, *vagina in longum ducta*, quod alio illustri exemplo quondam ulterius confirmabimus, exsurgunt. Quod vero carcinomati magis, quam scirrho, proprium est, febris continua et lenta virginem depascitur. Ac revera, in uteri antro intimiore jam est, qui hanc aluerit, sanguinemque impurum evomuerit, mollis, vel potius spongiosus, duriori substantiae uterina firmiter infixus, tumor; ac jam diu fuit suspecta, versus ilia sinistrorum pertingens, sub fluxu per vaginam majore, ac sub attactu magis dolens, durities.

Sed maxime, quod nobis prima hujus commentarioli verba expressit, *parietum uteri* circa fundum *tenuitas*, ac vix non *membranacea* constitutio est. Sic omnem uteri substantiam prae tenuitate vix chartaceam, in alia muliere fuisse legimus *). Huic forsitan structurae uteri in parte hac vel illa abnormi, frequens hujus visceris *obliquitas*, — huic non pauci *abortus*, in quavis graviditate eandem ad periodum subintrantes, — huic de-

*) Hopfengärtner, in Hufeland's Journal der praktischen Heilk. 1. B. S. 524. sq.

mum uteri hinc inde, sub moderato etiam violentiae illatae gradu contingens *ruptura*, et multa, quae culter quondam anatomicus explicabit, uteri mala adscribenda sunt.

Cephalaea lethalis ex cranii vitio.

Virgo nobilissima *Vindobonensis*, tinea capitis per plures annos infantiae laborans, per externa remedia, quorum indoles ignota mansit, hoc a morbo rebelli liberata fuit. Quibus tamen e locis, tinea quondam cor- reptis, pili defluxerant, vel morbi, vel medicamenti effectu hoc contigerit; perpetua illa calvitie, per *areas distincta*, labo- rarunt. Postquam menstrua comparuissent, ob vitam sedentariam, ob varios in victu er- rores, et ob animi pathemata ingrata, in chlorosin haec virgo incidit; morosa tamen, ac sibimet relicta, auxilium medicum non petiit, aut unquam adhibuit. Hemicrania, ut videbatur, hysterica, frequentius tamen ex primis viis, seu stomachi vitio excitata, nec certam periodum observans, huic malo accessit. Haec igitur puella, anno 1796, crudeli cardialgia et vomitu detenta, nec tunc quidem medicam imploravit opem; post

plures interim dies vel sponte denuo restitu-
ta fuit.

*Die 13^a mensis Augusti 1797, quin diae-
tae vitium praecessisset, et cum lingua hu-
mida, ac pura, vomitum aegra ter passa est
amarum, biliosum. Abdominis dolores ma-
gnos accusat. Alvus ab hesterna die clausa,
febris nullum in pulsu signum est. Infusum
chamomillae, clysteres, emulsio arabica et
fomentatio ventris praescribuntur. Ad ves-
peras usque vomitus sexies et ultra recru-
dit, nec alvus hucusque soluta fuit. Tor-
mina majora sunt. Praeter enemata, aqua
florum chamomillae, liquor cornu cervi, et
castorei tinctura propinata fuerunt. Ver-
sus noctem, continuante adhuc vomitu, quo
ipsa medicamina, vix assumta, illico rejecta
fuerunt, quin pulsuum mutaretur ratio, fla-
tus involuntarii, et magna corporis jactatio
accedunt. Post horam, dolor, quasi urens,
ventriculum per vices detinet. Conatus vo-
mendi continuo premunt; ab attactu, regio
epigastrica dolet. Venter interim mollis ac
indolens, alvus adhuc clausa est. Vini quid.
quam hispanici porrigitur, et hoc solum sat
diu a ventriculo non rejicitur. Mox interim
vomitus recrudescit. Laudani liquidi nunc*

portio ingeritur cum pristinis. Balneo tepido aegra immergitur. Clysteribus, omni bishorio repetendis, electuarium, ut vocant, lenitivum superadditur. Haec interim singula, quin unico nycthemero vomitum aegra trigesies pateretur, non impediunt.

Die 14^a. Ab hora quarta matutina, vomitus cessavit, dolorque ventriculi imminutus fuit. Venter mollis, pulsus sano similis, alvus tamen necdum soluta est. Sic diem sat bene, cum nausea quidem, sed absque vomitu, transegit. Alvus ad noctem parce satis deponatur.

Die 15^a. Somno aegra gavisa est, et alvum tandem, a sana non alienam, depositum. Nausea disparuit. Sequentibus diebus res bene incedunt. Elixir stomachicum prescribitur, et pauco satis tempore sanitas, quali nempe antea, satis fragili, fruebatur, restituta fuit.

Atqui hoc toto in morbi decursu, nihil quod ab insultu faeminis hysterics sat communis abluserit, hucusque observatum fuit. Ast vero, trium fere mensium spatio, haec eadem affectio, *octies*, — nunquam tamen absque commisso in diaeta errore, recruduit.

Tandem die *quinta Novembris* ejusdem anni,

post commestas dauci hortensis radices, ad noctem, in vomitum enormous incidit virgo. Atrocissima simul cephalaea eandem divedat. Jactatio, anxietas insignis, facies mutata, adfines et medicum consternunt. Sub tantis a morbo angustiis, aegra caput suum cum vertice super stragula, cœtero corpore profundius, ponit, atque hoc a situ doloris quoddam levamen persentit; mox tamen, non sine convulsionibus, hanc positionem, alte exclamans, deserit, eandem mox iterum desperabunda arripit.

Die 6^a cum et vomitus, et crudelis illa cephalaea nil remitterent, aliorum consilium medicorum, nobis ipsis suadentibus, imploratum fuit. Eo ipso momento horrenda aegram convulsio invasit. Vitium in calvaria organicum subesse subolfecimus; in volatilibus tamen, et, ut vocant, antispasmodicis remediis continuandum esse conclusum fuit. Rediit quidem aegra ex tantis, quae mortis tunc jam pericula indicabant, convulsionibus; sed ad noctem, haec denuo virginem conquassant; et sic alternis vicibus cum dolore ad caput tremendo eandem dilaniant. Vertici nunc longius in tempus, corpore quasi inverso, incumbit frequentius aegra;

vomi-

vomitus crebrior cum viridissimae materiae rejectione, his aerumnis, per mortem demum, quasi apoplecticam, *die decima* Novembris terminandis accedit.

Sectio cadaveris.

Cadaver maculis lividi coloris, hinc illinc dispersis, notatum est. Adperto cranio, vasa cerebri quidquam turgida, nulla tamen inflammationis vestigia vel ipso in cerebro, vel in ejus membranis comparent. In posteriore processus falciformis magni regione, ubi inter lamellas durae matris sinus longitudinalis decurrit, in ipsa hujus membranae substantia, particula ossea, duas circiter lineas longa, et acuta, reperitur. Sublevatis cerebri anterioris lobis, *sellae turcicae lamina posterior*, perpendicularis dicta, dura matre, quae huic ossi periostium est, penitus privata, ad attactum aspera, et *corrosa*, pars vero encephali huic regioni respondens, sugillata observantur. Cerebrum sano longe mollius et flaccidius est. In ipsa demum calvariae superficie interna, versus suturam frontalem, adhuc conspicuam, praecipue ad partem sinistram, eminentiae seu *excresciae osseae peracutae*, durissimae, lineas aliquot

longae, quae spinarum adinstar cerebrum pungendo sugillaverant, in conspectum caderbant.

E p i c r i s s.

Quam atroci capitisi, aut universi, aut in parte una vel altera, dolori faeminae imprimis chloroticae, hystericae, nunc fere perpetuo, nunc periodico, nunc vago, subjectae sint, fugit neminem. Causarum, quae cephalaeas innumerae producunt, etsi non immemores, eam tamen, quae nostrae caput virginis affligebat, vel nervorum turbis, vel primis viis, totius ab aegra omnibus ciborum genere obrutis, eo magis adscriptissimus: quod, nulla encephali functione perturbata, post unum alterumve diem dolor omnis dispereret; ac novae accessionis ratio, semper, aut in animi pathemate, aut in diaetae vitiis ponenda videretur. Nec menstrua, quae rite semper fluebant, uteri forsitan culpam huic malo subesse indicabant. Accessionum tum frequentia, tum major in dies saevitia, suspicionem quidem nobis, ne *tinea*, multis retro ab annis praepostere sanata, tantorum partem malorum haberet, — non sufficientem tamen, quo methodum me-

dendi huic superstrueremus dubio, suggestum. Hoc interim dubium, sub ultima dolorum invasione ac indole, ad majoris certe probabilitatis gradum apud nos evectum est; nec alia tum celebris *Stoerkii*, tum expertissimi, ac amici nobis Viri, *Closseti*, ad consilium accersitorum, opinio fuit. Capitis principue in verticem, praedilecta aegra, positio, doloris aliquod, sub hac, levamen, vomitus continui, et convulsiones quasi epilepticae, esse aliquid profundo in cranio, quod encephalum stimularet, ac sub inverso capite minus in hoc ageret, indicare videbantur; sed breve satis a tali suspicione, ad mortem, intervallum fuit; nec, si anterior quoque fuisset cognitio, quid huic vitio organico prudenter opponi posset, ea nos docuisset. Nimis interim, ut sectionis historia docet, hoc ipsum confirmatum fuit. Non desunt certe, prout in *Epitome*, suo loco, expomus, cephalaeae dirissimae, ex diversis impetiginibus, imprimis ad caput, praepostere sanatis, ex ossiculis in dura meninge, in processu ejus falciformi, vel ipso adeo in cerebro repertis, vel cranii ex carie, vel spinosis excrescentiis, inductae, ac lethalis

exempla *); sed tantas his a causis inducias, tantam sub istis, functionum cerebri libertatem aegris concessas fuisse, si tamen ea vitia organica excipias, quae, nullum unquam aut dolorem, aut aliud quodcunque symptoma excitantia, ad mortem usque in calvaria latuerunt, rarissimum est. Qua ratione, capitis in verticem positio dolores aegrae quidquam saltem mitigaverit, sub constante calvariae, suo a viscere repletione, perarduum est dicere; est tamen aliqua massae cerebrinae, in basin cranii ponderantis, sub eo situ corporis, sublevatio, et quam breve illa solatium virgini concesserit, jam diximus.

De Diabete adnotatio.

Diabetis historiam atque indolem, ubi cunque locorum artem medicam per quadragesita quinque fere annos, exercuimus, pro viribus prosecuti sumus; et prout in *Epitomes* L. V. P. I. §. 477. monuimus, „eundem sci- „licet frequentius, quam cum aliis non ita

[*) Plura collegit G. G. Plouquet, *Literatura medica digesta*, T. I. p. 214. 215. 217. 218.

, pridem nos ipsi credebamus, ubique locorum occurrere, et a medicis in urinae quantitatem, cut saporem haud satis attentis, non semel non adverti;“ ita eundem, praeter rhenanas Germaniae provincias atque Italiam et in Austria, et in Russia vegetare reperimus. Viennam scilicet anno 1795 ex Italia a Caesare accersiti, a medico practico tunc ibi praecipuo, etsi per novem lustra et ultra, millenos inter aegros versato, sibi nunquam diabeten oblatum esse, admirantes percepi-
mus; decem tamen annorum spatio in illa metropoli, quater, in Russiae vero Imperio bis observavimus. Cum igitur et *Galenus* testetur, modo duo sibi diabetis exempla occurrisse; cum *Aretaeus*, diabeten „miraculum nominet haud ita saepius hominibus usitatum;“ cum arabus medicus *Rabbi Moyses*, se, in occidentalibus, diabeten nunquam, — in calidis vero regionibus, saepius, ac in Egypto, decem intervallo annorum, vigesies conspexisse referat; cum, inter Recentiores, *Astruccius* in praegrandi Parisiorum Metropoli hunc morbum nunquam observare potuerit; quando *Cullenius*, in Scotia, viginti diabetis specimina vidit; et quando *Cohausenius* monuit, se diabetem in senescentibus homi-

nibus non infreque[n]ter vidisse, atque saepe contingere, ut viri et mulieres obesiores, sub insolita excretione urinae, vel lente, vel subito, alia sine causa evidente contabescant; fateri sane oportet, medicorum observationes et hac in re non parum inter se repugnare.

Recte igitur *Pissinius*, qui octo veri diabetis exempla in Italia habuit, „jure, inquit, „dubitare licet, vel non raram esse diabeti- „cam adfectionem, vel quam diabeticam „esse nonnulli sunt arbitrati, non esse dia- „abeticam. An vero adfectionum similitu- „do scribentium aliquos deceperit, an po- „tius nova quaepiam cœli constitutio, vel „victus ratio id nostris temporibus frequen- „tius excitaverit, incertum est *).“ Sic et *van der Haar*, de suo aevo non tam rarum fore diabetem, si medici diligentius in urinae quantitatem inquirerent, admonuit **).

Facile interim concedimus, ante tempora *Willisii*, qui primus melleam urinarum in illo indolem observavit, nec non ante *Homii*, *Dobsonii*, ac demum ante chemicorum re-

*) In libro inter nos raro: *Sebastiani Pissini*, medici Luccensis et patritii, *Dissert. de diabete*. Milano 1654. p. 27. 8. 9.

**) V. Samml. auserl, Abh. f. pr. Aerzte, B. VIII. S. 41.

centium labores, vel quascunque fere lotii secretiones solitis multo uberiores, haud paucis pro diabete imposuisse; vel ante *Cawleyi de diabete decipiente* experimenta, eundem hunc morbum non alibi, quam ubi urinarum multitudo exorbitans, tabes, ac sitis asperior, medicorum attentionem fortius succusserint, in suspicionem venisse. Etsi vero nostris temporibus lux diabeti non exigua accesserit; paucas tamen, quas hic inserimus, observationes non inutiles fore censemus.

Diabetes mellitus, periodum annuum observans, gravissimus.

Dominicus Gemelli, 36^{um} annum agens, textor, jam a primis aetatis suae annis cœperat glandularum colli tumoribus affici, nec non frequentibus admodum narium haemorrhagiis laborare; quod quidem primum constitutionis vitium, ad annum aetatis decimum octavum prorsus disparuit, ita ut aeger, corpus sensim sensimque robustissimum nactus, optimo frueretur habitu; alterum vero, epistaxis nempe, ad hanc usque fere diem continuat. Largissimas siqui dem

narium haemorrhagias et adeo frequentes patitur, ut modo ter quaterve in hebdomada, modo bis, ter quotidie eadem compareant, ac modo ad aliquot uncias, modo ad plures etiam libras descendant. Haec a prima pueritia, ad annum aetatis trigesimum aequali fere tenore repetunt; nec ulla haec vel praecedunt; vel sequuntur morbosa phœnomena; caput enim hac in **rerum** positione semper est liberum, debilitas nulla est; quidquod viribus sat notabilibus polleat, et facie continuo gaudeat florida optimoque colore instructa. A viginti autem circiter annis, et tertium huic viro superaccedit phœnomenon: quavis scilicet die, mox a pastu, carbonis veluti accensi ac urentis sensus, a scrobiculo cordis incipiens, gradatim per thoracem ascendens, qui **sensus** flammariae instar ubique expanditur, summe molestus hominem angit, excruciat. Salivatio nunc plurima exoritur; cogitur exinde textoris a munere abstinere; et vel aliquot mox gressus aeger instituit, vel frigidam affatim haurit, ut ustionis in pectore sensum extinguat. Nullum vero certius auxilium experitur, quam ex *decubitu*; vix enim lecto sternitur, ibique per horulam quietus degit, cum, prorsus resti-

tutus, mox proprium ad munus accedat. Per viginti sic annos quotidie redit haec affectio; eandem constanter horam observat, post duas scilicet meridiano a pastu horas, et post totidem a cœna, plus minus fortis, pro ingesti cibi natura, prout facilius hic, vel difficilius erat subigendus; et post horam, penitus hae turbae disparent. Hisce accedit et altera affectio: nimirum jam a quinquennio faeces millenis vermiculis (ascaridibus) pollicaribus remistas aeger observat, et insuper pruritum, tenesmum vel inanes desidendi conatus ad anum experitur; unde bis terque factum est, ut haemorrhoides aegro mucosae moverentur. Cœterum quamvis ille his omnibus premeretur incommodis; robustus tamen, pinguis, hilarisque, propriis textoris muneribus intererat, noctes transigebat placidissimas, et, uno verbo, bene valebat.

Ast a duobus annis quatuorve mensibus, insuetum, ac pœne prodigiosum vermiculorum, aliis quidquam magis extensorum, et pollicis longitudinem referentium, glomerem, aquae simplici commistum, per annum rejicit. Obstupuit aeger, dumque haec miratur, *sitire* se praeter morem, atque os sibi humo-

ribus privari percipit; salivam mox albidam, viscidam, spumosamque fieri, perinde ac insiti, animadvertisit; quare semel et iterum plures frigidae cyathos haurit. Dies hic festivus erat, et ut mos est apud ruricolas, omnes in unum conveniunt, ut lusus inter et pocula, diei solemnitatem celebrent. Sic et ipse amici domum petierat, ut reliquam diei partem cum isto transigeret. Hic vero acrior insurgit magisque molesta sitis; quare amico hanc rem insolitam exponit, et potulenta enixe efflagitat. Amicus ille, vetusti dolium adhuc integrum sibi superesse Faler- ni refert; hoc, ad illius sitim extinguendam aptissimum, encomiis extollit, et amicum ad cellam invitat. Cum pluribus pateris, ac hau- stu multoties repetito aeger sitim ita fallere tentat. Ad suos redux, iterum iterumque sitim redire observat. Noctu haec ardentior insurgit. Omni fere momento aeger sitibun- dus a somno excitatur, et ut surgat aquas- que hauriat, cogitur; quod equidem phœno- menon, cum post tres vel quatuor dies au- geri vidisset: sitellam aqua repletam lectulo adposuit, atque hanc, spatio nycthemeri, potando deplevit.

Mox vero a primo sitis morbosae sensu

comparente, *urina*, quae antehac modice flu-
xerat, summopere *adaucta* fuit, ita, ut omni
momento ejusdem excernendae urgeret ne-
cessitas. Hisce se comites addunt *fames*, ac
debilitas. Senserat scilicet aeger, jam a mali
principio, appetitum ciborum sibi adeo incre-
visse, ut dupla vix sufficeret ferculorum
quantitas. Senserat idem adeo sibi vires suf-
flaminari, ut laboribus textoriis longe minus
esset idoneus. Post duos jam menses ad ac-
men morbus pervenerat. Sitis enim tunc
erat ardentissima, nullo amplius potu fallen-
da. Si quid aeger a potu abstineret; vel ne
biberet, ab amicis cogeretur; tanta mox et
linguae et oris exorta est siccitas, ut vox ipsa
fere faucibus haereret, et intolerabilis aegro
sensatio, potum ipsi extorqueret. Nulla ha-
ctenus et potulentorum ingurgitatorum, et
urinae excretæ, mensura instituta fuit. Sin
autem vel paucò temporis intervallo aeger
a mejendo abstineret; vesica mox illi e pelvi
assurgit, hypogastrium intumescit, extendi-
tur. Inter haec symptomata, *cutis* semper
aegro fuit aridissima; nec ille, se vel levem
sub hoc temporis tractu sudatiunculam ex-
pertum esse, reminiscitur. Hisce insuper
accedunt pigritia insolita, inertia fere conti-

nua. Vix aeri aeger exponitur, mox leviter illi intorrescit. Tristis adeo et morosus, ex hilari, ut adstantium colloquia vix perferret, evadit. Corpus quoque *emaciatur* et contabescit; extenuantur artus et arescunt. Numerari jam costae queunt, et claviculae, et dorsi spinae protuberant. Exstant ubique venae, et cutis, corii instar, quamvis squamis nullibi obtecta, condensatur. Collabuntur tempora, omnisque corporis habitus adeo gracilescit, ut nihil ex eo, praeter cutim et ossa, supersit, ac *vera carnium adsit et membrorum in urinam colliquatio*.

Jam a primo sitis ingressu, ardoris molesta illa ad pectus sensatio disparuit, atque, illius loco, mox a pastu, *insigne pondus ad ventriculi regionem*, corpus summa vi inferius trahens, persentitur. Nec potest aeger diutius erectus consistere; sed lecto commissis, hoc sensu morboso liberatur ille in totum. Narium consuetum cruoris profluviū, mox a prima siti morbosa, parcus simul ac rarius fuit redditum, tandem vero prorsus obmutuit. Quidquid cum fervidissimus ante hac fuisset et in castris venereis non imbellicis miles, nullam nunc penis erectionem, nullam liquoris seminalis excretionem, vel ab

ipsa veneris præsentia, obtinet, unde matrimonio prorsus ineptus evadit.

Rebus ita constitutis, chirurgum loci aeger consulit. Venam hic tundendam esse credidit. Aucto vero mox morbo, ad lactis, cum aqua remisti usum, mentem miser convertit, atque pro potu ordinario eidem indulget. Per tres fere menses in istis continuat; cum vero sitis eodem tenore incederet; medicum loci aeger in auxilium accersit, qui cassiae pulpam isti praescribit. Nullum haec effectum exhibuit. Per longam igitur temporis moram, omni aeger medorum consilio renunciat. Tandem, aucta indies macies pultem ex farina tritici paratam, dein panem lacte maceratum, nasturtium aquaticum, postremo iterum lac aquae commistum, consulunt, quibus singulis per menses aliquot, lacte vero integrum per hiemem, adhibitis, nullum morbi levamen obtinetur.

Duos sic annos aeger transigit, siti, fame, urina, cutis ariditate ac debilitate iisdem semper persistentibus; quamvis pro varia tempestate cœlique mutatione, varios quoque hic gradus agnoverit. Aestivo siquidem tempore observat aeger, sitim sibi adeo imminui, ut dimidia potus quantitas

sufficiat; famem, e contra, atque debilitatem summopere augeri; accedente autumno, sitim denuo increscere, fame debilitateque tantillum imminutis. Observat idem, quod, ubi cœli mutatio instat, ac nubes pluvias collectae minantur, aucta tunc siti, dupla fere aquae quantitate indigeat. Nec una eademque die, omnibus aequae horis, sitis eadem urget; haec enim matutinas ad horas, minor, post prandium, major, ad noctem vero, maxima constanter esse solet.

Ante binos menses, dum cœtera eodem in gradu persisterent, vel sponte *duae pustulae*, una utrimque ad coxas, ortae sunt, gradatim auctae, ardentes, dolentes, tandemque in ulcus apertae. Plura ulceræ similia per coxas serpunt, ac pus quotidie copiosum fundunt. Tunc nosodochium *Ticinense* petit aeger, ac, praeter dicta symptomata, somnolentiam quidem manifestat; sed oculos vix claudit, cum crudelis hanc potus necessitas mox omnem interruptit; ut raro per horulam, rarissime per bihorium, aeger obdormiat. Alvus interea quotidie excernitur, vel saltem alternis diebus cum vermibus de scriptis deponitur.

Pulsus mane tardi, et fere naturales sunt;

vespere, constanter, cum calore cutis quidquam aucto, frequentiores ac pleniusculi reperiuntur. Epistaxis ab anno cum dimidio non amplius comparuit. Debilitas tanta est, ut pedibus aeger insistere nequeat, nec sellain perforatam adire, nisi sustentatus, possit. *Sapor urinarum* evidenter *subdulcis* reperitur; color vero limpidus, ex pallido serosus, vel stramineus detegitur. Matutinis horis, lotium parcum, vespere copiosius, ad noctem abundantius fluit; quo in puncto et sitis et urinae inter se correspondent. In matula per diem relictae, hae *nec* ullum *sedimentum* deponunt, *nec* *foetorem* quemcunque spar-gunt, sed incorruptae eodem in statu permanent. Omnis in nosocomio cura, ab egre-gio chirурgo, in eo, ut ulcera sanaret, posita fuit. Cum vero aegri vires tam urinae quam puris evacuationibus frangerentur magis indies; cautior eidem victus concessus fuit. Tali pacto tractato aegro, ulcera, prom-tissime in melius mutata, pus bonae notae ac parcius dederunt; illa vero lateris sinistri clausa fuerunt. *Die* mensis Aprilis 17^a A. 1791 ad Institutum clinicum aeger admissus fuit.

Die 18^a mane, vix quatuor, ad vesperas

novem, ad noctem vero *tredecim* aquae libras
 aeger potavit. Urinarum fere eadem quan-
 titas excreta fuit. Nec autem istarum tam
 frequens, quam credi potuisse, evacuatio
 contigit: relaxato enim vesicae sphinctere,
 absque omni ardore, ad integrum fere matu-
 lam lotium excerni solebat. Hodie insolitam
 aeger vertiginem accusat. Ad anum, pru-
 ritu insigni, tumore ac dolore simul tenta-
 tur; flatulentiae quoque, ut quibus aeger
 continuo fuit obnoxius, adsunt. Observat
 vero ille, quod sitis, ab ardentissima illa,
 qua tertio invadentis morbi mense vexatus
 fuit, summopere distet, multumque immi-
 nuta sit. Fames quoque, primum fere cani-
 na, nunc ita, ut pars tertia ciborum, ultra
 illam, quam ante morbum consumere sole-
 bat, nunc sibi sufficiat, decrevit. In situ ho-
 rizontali, molestum a pastu ventriculi sen-
 sum non amplius aeger percipit. Vola ma-
 num plantaeque pedum ardent, et calor in
 genere versus noctem, cum aliquo faciei
 rubore, pulsuque frequiore, quidquam
 pleno, augetur. Noctes inquietae, ac som-
 nus vix ultra horam dimidiā nunc extendi-
 tur. Parva opii dosis ante noctem concedi-
 tur. Haec, somnum tres quatuorve per ho-

ras induxit. Ab hoc, sitis minor fuit, ac tertia pars liquidi pro potu suffecit. Calor interim ac febris quidquam aucta fuerunt. Diebus insequentibus, ulcera denuo repullulant, majoremque puris copiam plorant.

Cum vero tunc *Josephus Frank*, cum urinis, ab aegro tantam ad copiam quotidie excretis, examen, ad *Homii*, *Dobsonii* et *eximii Marabellii* imitationem, instituisset; primo quidem *gas carbonicum* ex illis, per quasdam dies sibi relictis, quamplurimum elicuit. Fermentationis alicujus igitur capacitatem huic lotio attribuens, fermenti pauculum ille huiç commiscuit, ac, destillationis ope, *alkoholis* uncias aliquot ex libris vinti urinarum hujus diabetici, — *extracti vero saccharini*, pro quavis earum libra, unciam dimidiam obtinuit *).

Quod ad causas tam diri morbi spectat, si terrorem insignem, quem tribus ante mor-

*) His experimentis quae exposita fuerunt in *Josephi Frank Ratione Ins. clinici Ticinensis* p. 201-253. magni viri, *Jacquin.*, filius egregius, per Galliam et Italiam Viennam redditurus, superaccessit, atque eadem cum celebri *Foureroy*, qui mentionem illorum honorificam annalibus suis *chemicis* injectit, communicavit.

bum mensibus aeger passus est, excipias, nullius ille reminiscitur. Nullum certe in hepate, quod pridem hujus morbi sedem esse dixerunt *), tumoris vestigium tactu reperimus; nec spasmis aeger, nec lumbagini unquam subjectus fuit.

Remedium *Griffithii*, in tabe pulmonali quidem plus aequo laudatum, sed tamen, ut videbatur, hoc in casu non spernendum, ex myrrhae extracto, sale absynthii, martis, in aqua cinnamomi vinosa solutis, prescribitur.

Mox ab hoc medicamine diarrhoea insecura est, et major abhinc successit debilitas. Quare, per aliquod saltem tempus, illud illico suspendimus. Praeterea vero summi ad nates dolores successerunt. Pars ita affecta gradatim tenditur, tumet, et brevi temporis intervallo, fluctuans sub illa maties detegitur; unde sectione mox instituta, prodigiosa puris foetidissimi copia prorupit. Cruris ulcera, colore foedo instructa, pus parcum, non bonae notae, fundebant. Proserpunt ea huc illuc, ac, sordida, sinus amplos relinquunt. Ut in latam superficiem hi

*) *Rick. Mead*, Opp. tract. de vipera; p. 39. *Israel Marx*, diss. de diabete. Goettingae 1775.

omnes verterentur, sinuum singulorum incisio imperata fuit.

Insignis vero, sub novo ad nates abscessu, rerum mutatio insecura est. Sitis nempe, bibendi necessitas, fames, non modo imminui, sed fere aboleri observantur. Unius nycthemeri spatio tunc aeger vix quatuor libras aquae hausit, duasque modo matulas mingendo implevit. Calor vespertinus jam fere nullus; vix aliqua in pulsibus frequentia est. Integras nunc noctes placido sub somno aeger transigit; aliquis per duas jam noctes sudor comparuit. Urinae, quae antehac vel minime foetuerant, odorem nunc alcali quasi volatilis teterrimum naribusque infensem spargebant; alvus liquida bis terve in die movetur. Pristinum igitur medicamentum, salis tamen absynthii dosi immunita, praescribitur.

Die 28^a, sitis, potus, et urina, eundem habitum ostendunt. Fames quidquam aucta, facies hilarior, pulsus fere naturales, calores vespertini vix ulli sunt. Somnus satis quietus et longus, alvus bis soluta et liquida, sudor nullus est. Cum vero mox alvi fluxus augeretur; post duas dies sal absynthii suspensum fuit.

A *1^a* Maji ad *8^{am}* perbelle res incessit; tunc vero circa nates et crura dolebant magis ulcera, aliqua sitis aderat, et vespertina pulsuum frequentia. Remittunt interim post quatuor dies haec symptomata, et in omnibus aeger sublevatum se sentit.

Die 20^a. Sitis minor, ac dimidia potulentorum suffecit aegro quantitas; eadem urinarum proportio est. Ab hoc tempore, usque ad dimidium mensis Augusti, aegrotus in clinico remansit: quo tractu temporis sanabantur ulcera, neque multa morbus offerebat symptomata. Sitis nempe vix ulla, hinc et potus et urinae vix naturales excedebant. Morbosam istae dulcedinem amiserant; fames vero aucta fuit; noctes placidissimae, carnes et vires indies redibant.

Domum reduce aegro, per quindecim adhuc dies in eodem convalescentiae statu ille permansit. Ast primo mensis Septembris sub adventu, defervescente solis aestu, mutatur illico morbi facies, et priora iterum, sed pejora, symptomata ingruunt. Jamque sitis iterum se prodit ardentissima, inexplebilis: quae, licet continua, certis tamen horis, constante quasi morbi lege, intenditur, aut remittit. Mane siquidem vix experge-

factus est aeger; cum omnium asperior ac violentissima haec urget. Copioso tunc hausto potu, liquidorum desiderium remittit post bihorium. Duabus a prandio horis vix elapsis, hoc iterum, etsi minus, increscit, sedatur denuo; donec simili post cœnam tempore, iterum augeatur, sed mitius cœteris. Sitis intensitati et gradui, potus quoque copia respondet. Tanta vero illa est, ut interdum vix *pintae* aquarum *quatuordecim* sufficiant. Largissimo vero huic potui nonnulla confestim succedunt abdominis incommoda: praecordiorum scilicet angustia, ventris tensio et gravitas, borborygmi, tormina, molestaque fluidi huc illuc percurrentis, ad ilia imprimis descendens, sensatio; quae quidem singula, erumpente copioso urinarum profluvio, desinunt.

Lotii porro secretio, tum siti, tum potui, quoad tempus, minus respondet. Cum enim haec mane essent maxima, minora vespere, et ad noctem vel omnium minima; illa, e contrario, matutino tempore vix ulla, vespere major, omnium vero maxima ad noctem observatur. Si quis ordinem, quo vere elapso tum siti, tum potus, una eademque die, variis tamen ejusdem horis, augeban-

tur et remittebant, cum illo, quem hoc autumno servant, contulerit; varietatem et in hoc subesse, perfacile sentiet. Praeterea paulo profundior nunc urinae color est, quam vere elapso fuerit; etsi sapor aequa dulcis in illa se prodat. Continua vero et nunc ad somnum est propensio, quam facile continua, vel potandi, vel mingendi necessitas, et somni vel brevissimi repetita interruptio, explicant.

His sub aerumnis corpus iterum contabescit, excavantur orbitae, et cutis haeret ab ossibus. Debilitas summa gressus impedit; pedes vix attollere aeger, ac digitos vix flectere potest. Pollices manuum pedumque, praे aliis torpent, ac sensu fere destituti jam ab anno languent. In hac vero adynamia, sensum membrorum quasi contusorum aeger refert. Post pastum assumptum, mox debilitas major fit, per horas aliquot, praे aliis, extensa. Spectabilis vero ad oculos, a paucis tantum diebus, mutatio aborta est: nam cum antehac acutissima polleret visus acie, objecta nunc aeger, ad decem vix passus posita, distinguere nequit. Cœterum et vespertina iterum febricula, et cutis summa ariditas, ut hieme ac vere elapsis, redive-

runt. Interrogatus aeger, num inter potu-
lenta, quae sors ipsi vel ars hactenus sup-
peditaverint, genus quoddam distinxerit,
quod ad sitim exstinguendam, prae alio, sa-
tisfecerit? *Vinum* hoc esse refert, quamvis
et *lacti* vim aliquam inesse concedat.

Tam flebili igitur in statu, hiemem ite-
rum transegit, ac aestivam stationem attigit
aeger. Remittunt tunc singula symptomata.
Cœterae vero functiones corporis pera-
guntur quam optime; mens libera est, spiri-
tus facilis, appetitus ciborum viget ac auctus
est; cibos vero *siccios* abhorret aeger, hu-
mescentes desiderat. Alvus quotidie move-
tur, nulli unquam dolores accusantur. Den-
tes adeo firmi sunt, ut trium spatio anno-
rum nonnisi unicum ex illis amiserit, et si
debilitatem maciemque hominis excipias,
reliqua, ut sanis esse solent, se offerunt *).

E p i c r i s i s.

*Periodici exempla diabetis non desunt **).*

*) Morbum cum summa praecisione ac industria con-
scripsit Auditor noster *Joannes de Felici*, Med. Do-
ctor. Aeger nunc iterum ad suos reversus est, nec
sors ejusdem ulterior ad nos usque, quod doluimus,
pervenit.

**) Plura collegit *Trnka*, de diabete commentarius p. II.
sqq. refert etiam *Butter*, Treatise on the Kinkcough.

Nostro vero, ex propriis iterum diariis, alterum hic breviter subjungimus. *Antonius B.* initio Novembris 1789 repente subriguit, incaluit febre exigua. Accesserunt levis cephalalgia, *sitis inexplicabilis*, oris amaror, borborygmi, tormina ventris constipati. Altera die, mane, omnia remittunt, surgit et labores peragit; sed eadem iterum hora, febris illum adgreditur. Idem typus ad plures dies protrahitur, donec nullum amplius ea servet ordinem, et modo horis matutinis, modo ad meridiem, modo versus noctem, febris accederet, non semper sat manifestis remissionibus intermediis. Sic per duos menses et ultra cum morbo conflictatur aeger, nunc debilissimus. Sitis jam magis urget, neque ad eam, noctis imprimis tempore, fallendam, viginti aut viginti quatuor librae aquae sufficiunt. Urinae copiosissimae sunt; sed potum copia non superant. Dolor insurgit in regione umbilicali vehemens et fixus, qui post nycthemerum imminuitur, mox vexante dolore ad suras. Alvus pertinacior, appetitus tamen viget. Die prima Martii 1790 clinicum Institutum *Ticinense* adivit. *Die 10^a* Martii nullum nobis de diabete mellito dubium superfuit. *Die 23^a* mensis Junii,

hoc a morbo convaluisse visus, ad suos aeger decessit. Ineunte vero mense Novembri, quo, anno elapso, morbus incœperat, diabetes iterum reçruduit, ex quo, jam sub fine Decembris ejusdem anni, aegrum domi e vita excessisse, experti sumus. Per aliquas ante obitum hebdomadas, urinas parce, et cum summo dolore fluxisse, relatum nobis fuit.

Concludimus ex istis: *non satis fidas semper esse diabetis sanati, nisi morbus per annum et ultra non rediverit, historias.* Atqui haec ipsa morbi, ad annos saepe tres, quatuor, et plures adeo extensi, longitudo, in causa est, quod raro in nosocomiis, vel etiam sub vulgaris artis exercitio, integra ejusdem delineari queat, fidelis satis, imago. Vel enim plures per annos in nosodochiis detineri aegri aut nequeunt, aut nolunt, vel extra illa, curationis, plerumque inutilis, taedio correpti, a medico ad medicum confugiunt, ac morbi sic historias detruncant. Cum autem post nostra circa diabeten (frequentius nobis, quam medicis, etiam senioribus, multis aliis, oblatum) tentamina *), egregia hoc de mor-

*) Epitome de curand. hom. morb. Lib. V. P. I. §§. 476
— 483. p. 38 — 67. Mannhemii 1794.

bo monographia comparuerit *); melior sa-
ne, quam quae nobis tunc nota fuisset, et
quae in omnimoda a victu vegetabili absti-
nentia potissime consistit, medendi metho-
dus simul fuit exposita. Eadem vero hic,
ut experti loquimur, medicos difficultas ex-
spectat; rari nempe inter nos aegri sunt, qui
solo victu animali per annum et ultra contentii
vivant; atque dum *Vilnae*, sub isto, urinass-
juvenis diabetici revera suam deposuisse dul-
cedinem observassemus; post viginti jami-
clies, aeger, cui panem adeo detrahi jusse-
ramus, „se tanti vitam non emere,“ respon-
dit, ac ad victimum vegetabilem simulac ani-
nalem reversus, mellitas iterum urinas ex-
crevit.

Ob tantam igitur morbi extensionem, in-
completa est ejusdem, quam hic tradidimus,
historia; non tamen ideo, ut supponimus,

*) Cases of the diabetes mellitus; with the Results of
the Trials of certain acids, and other substances in
the cure of the Lues venerea. By John Rollo. 2e Edi-
tion. London 1798. In germanicum Idioma hanc edi-
tionem transtulit Auditor noster, Dr. Heidmann, Vien-
næ 1801. Etsi vero cl. ille Auctor, operis sui eximill
exemplar nobis humanissime communicaverit; nostri
tamen, eundem circa morbum, laboris, forsitan tunc
in Anglia uecdum satis cogniti, mentionem non in-
jeicit.

Lectorum attentione indigna. Ac primo quidem, *narium profluvium cruentum*, cui a prima pueritia, ad annum aetatis usque trigesimum vir hic adsueverat, mox a prima siti morbosa, parcus simul ac rarius comparuit, tandem vero prorsus conticuit. Nec a tam largae, ac fere quotidianae secretionis cruentae suppressione, urinae illam, a sana alienam, excitari posse, quicunque ipsum hydrozem *energeticum* a tali causa hinc inde oriri non ignorat, negaverit. Alterum morbi nostri momentum in ardoris, *ustionis* ad cordis scrobiculum a pastu perceptione est positum. Languentis, ac acidam in crambem proni ventriculi illa sensatio effectus est; et qui impeditae ciborum assimilationi diabetem attribuunt *); hoc lubenter phœnomenon in partes suas rapient. Nec tertium symptoma, quod *ascarides polliculares* in casu nostro, ad annum excitarunt, ab illis, qui morbos vix non omnes ex vermibus deducunt, praetervidebitur. Majoris, aliis, ponderis esse, *terror*, tum ille, quem aeger ex inopinato

*) Dr. *Place*, Diss. de vera diabetis causa, in defectu assimilationis quaerenda. Goettingae 1784. Ante hunc, jam *Listerus*, in Exercitat. med. de morb. chron. p. 71. *Cullenius*, first Lines §. 1448; aliquique.

vermium, in glomerem convolutorum aspectu, mox in sequente siti insolita, passus est; tum insignis alter, quem tribus ante morbum mensibus idem subiverat, videbitur. Quos vero humoralis magis pathologia delectat, illi et pustulis ad coxas utrimque extortis, et ulceribus, tum ad istas, tum ad crura serpentibus, et ingenti denique abscessu, foetidissima materia impregnato, quasi *criticae*, in homine puerili sub aetate scrophuloso, *metastasi*, subsequens mox conspicuum aegritudinis levamen adscribent.

Quotidianae vero et communes nimis pleraque ex his causis sunt, quam ut morbum rariorem satis explicit. Innumeri sunt homines, quibus sanguis per annos e naribus, pulmone, intestino recto, vel utero profuse disperditur; medios tamen inter illos, pars medicorum, etiam seniorum, vel maxima diabetem vel ex nomine modo novit; nec si haec mali scaturigo esset, aut hujus morbi sanatio tam rara, aut in victu animali potissime quaerenda foret. Familiare admodum debiles apud homines symptoma, *acidorum* in ventriculo evolutio est; ac si *famem* haud raro haec excitent; absurdorum, parumque nutrientium ea potius ac

inordinatum desiderium est; et quae hoc sequitur laboriosa et difficilis assumtorum subactio, ea diabeticorum in cibis subigen-dis promtitudinem nec a longe quidem adae-quat. Nec de *siti* violenta, eos, qui *soda* la-borarunt, conqueri unquam audivimus. In-terrogavimus quondam diabeticum, in clini-co Instituto degentem: num *acidum* in ore *sa-porem* perciperet? atque constanter hunc ip-sum adesse negavit. Nec duo *Homii* aegroti, diabete adfecti, hunc saporem in ore accu-sabant, aut tumidum abdomen offerebant *). Salivam quidem *vermes* pueris, diarrhoeam aliquando tum his, tum etiam adultis mo-vent, ac suo in nervos abdominis stimulo, ipsum adeo sistema uriniferum attingere queunt; sed qui in puerulo vel ex dentitione, vel ex vermibus venisse refertur diabetes **), ille auctus potius urinarum fluxus, quam lo-tii ipsius a statu sano aberratio fuisse cen-sendus est; et qui *spasnum* pro diabetis cau-sa assignant ***), hysteriarum illi urinas,

*) *Principia medicinae, Clinical lectures, histor. and di-sections.*

**) *Jo. Herm. Fürstenau, Acta phys. med. Vol. V. Obs. 61. p. 240.*

***) *Richter, chirurg. Bemerk. I. B. 4. C. S. 76. 77. 80. 81. 82. Nicolai, progr. de diabete ex spasmo. Jenae 1772. Cullen, first Lines. Irnka, l. c. p. 43. 44.*

per diem unam alteramve copiosas et limpiadas, cum morbo toto cœlo diverso confundunt. Sic *terror* utique urinas alvumque subinde movet, nec tamen illarum indolem, nisi momentaneo influxu, pervertit aut immutat. Dum vero nos ipsi, in *Epitomes* L. V. P. I. §. 481. p. 36. 37. pustulis in aegro nostro ad coxas, cum levamine morbi, exortis, quasi criticae metastasi, nimiam forsitan et aliorum observationibus *), et nostrae, auctoritatem concessimus; fassi tamen jam tunc sumus: „morbum quidem illico disparuisse, post longam tamen moram redditum.“ Ac revera, cum et ante annum, quin ullaे pustulae prodiissent, sub aestivo scilicet calore, diabetes ille vix non evanuerit; non his pustulis aut ulceribus, etsi novus in alia parte stimulus, principalis morbi suspensionem se-

*) Metastasium, diabetem sistentium, exempla plura collegit *Trnka*, l. c. 102 — 104. Ex suppresso adeo fluore albo, diabeten venisse, refert idem; de Leucorrhœa, p. 131. Puella *Parmensis*, cuius historiam refert *Tommasini*, quovis vere impetiginis speciem pati solebat, sub qua in coeteris perfecte valare solebat; Quo vero anno, mense Aprilis, diabete laborare coepit, vel effectus, vel causa sit, impetiginem sibi solitam experta non erat. *Jacobo Tommasini*, Storia ragionata di un diabete. Della Reale Tipografia Parmense. 1794. p. 6.

cundare, vel accelerare omnino potuerit, sed *periodi imperio*, tam promta morbi in melius conversio adscribenda esse videtur. In explicatione vero hujusce periodi, non minus, quam in cuiusvis alterius circuitus morbosi enodatione, nos prorsus cœcutire, lubenter concedimus. Diabetem systemati vasorum lymphaticorum interno, ad promtiorem avidumque nimis chymi, ac principii in eodem saccharini, neandum satis subacti et in animalem naturam conversi, resorptiōnem excitato adscribendam esse, sicut quondam in *Epitomes* l. c. §. 481. indicavimus, ita adhucdum supponimus; Pathologiam olet haec quoque opinio, quod negare non possumus, humoralem; cum tamen crassiorē illam nos ipsi jam diu rejecerimus; ab omni culpa corporis animalis liquida liberare in omnibus non possumus. Nec magnas amplius, ut quondam verebamur (l. c.) *diabetes insipidus* difficultates nobis pariet, cum mulieris, a *Josepho Frank* ex hoc ipso diabete, A. 1799, in nosocomio *Vindobonensi* pertractae, urinae, per cel. *de Jacquin* chemicae analysi, submissae, non dulcem quidem gustum, sed neque saporem, neque

odorem, neque alia principia, quae urinis sanorum sunt propria, manifestaverint.

Singularia quaedam ac insolita in aegro nostro phœnomena sistuntur: unum, quod, *ustionis* ad ventriculum sensu molesto affectus, certum in *decubitu* per horulam quieto, qui aliis, a soda correptis, haud confert, auxilium habuerit; alterum, quod a primo sitis morbosae ingressu, ardoris illius sensatio disparuerit; et ultimo in illam *ponderis* ad ventriculum, corpus inferius trahentis, conversa sit. Difficile est, indubiam de omnibus, quae in morbis, imprimis complicatis, ad viscera succedunt, rationem reddere. Erit forsitan aliquando plaga una ventriculi, frequenter simulati, sensibilior altera: sub qua, corporis in hanc, vel aliam partem positio, irritantis acidi effectus divertat, immiuat, vel augeat; vel supino sub decubitu, fluidum ventriculo infestum, viam sibi ex isto, in duodenum parat. Comparente tandem siti morbosa, potus quantitas assumti, crambem acidam diluit, ac ventriculo detenta, ponderis ibi sensum ustioni substituit. Cœterum attentionem meretur, aegri, de *vino*, in siti moderanda, præ aliis proficuo, ac de *lacte*, post vinum, sitim ma-

gis

gis fallente, assertio, quae certe cruciatus ex acido in aliis adaugent. Cum tantam principii saccharini jacturam apud diabeticum *Ticinensem* miraremur: lactis, cum saccharo commisti, usum liberalem, pro potu, concessimus. Non juvit quidem tentamen, erroneo innixum judicio; sed tamen id aegro acorem, aut pondus ventriculi causasse, experti non sumus. Dentes aegro nostro, praeter unum, omnes plena integritate substitisse, cum *Homii* aegro diabetico, sub fine morbi, gradatim dentes numero sexdecim exciderint, si cœteris aegratis, quos eodem ex morbo tractavimus, dentes ullo modo laborassent, miraremur. Praevium *emollitioni ossium* diabetis exemplum referunt *transactio- nes philosophicae* *).

Diabetes chylosus?

Josephus Antonius Gorini, hortorum cultor, 70 annorum, post insigne pondus humeris per tria millaria superimpositum, vix octo praeterfluxerant dies, prehenditur magno ad ultimas lumborum vertebrae dolore. Nosocomium hinc *Ticinense* petit, mense Ju-

*) n. 474.

nii 1791. Febris hic quotidie ad meridiem exacerbatur. Balneis, aliisque auxiliis adhibitis, senex a morbo restitutus videbatur; sed post mensem, parvus iterum dolor ac febricula eundem invadunt, quae, exiguis intervallis, suspenduntur, et redeunt. Tandem a quindecim diebus, dolores ejusdem, ac pri- dem, indolis, sed lacinantes, pungentes, ac admodum vehementes, simulque febricula, omni vespere exacerbanda, insurgunt. Post quatuor dies remittunt hi dolores, non cessant, febricula continuat. Talibus vero ad lumbos doloribus alii respondent ad hypogastrium, cum pruritu ad penem, non tam- men continuo. Attentionem vero merebantur quoque sitis et urinae copia insigne, quae in primis hisce diebus quindecim primo fue- runt animadversae: cum duas potulentorum amulas hauserit, et tres urinae matulas, nycthemeri spatio cum urinis repleverit, non sine conspicua corporis, antehac torosi ac succipleni, macie. Urinae sapor subdulcis fuit.

Cucurbitulae octo scarificatae lumbis ad- motae, ad locum doloris, vesicans empla- strum, purgans alvum ex tamarindis reme- dium, ob oris amarorem, et decoctum hor-

dei pro potu, praescripta fuerunt. Dolores haec lenierunt, alvus aliquoties mota fuit. Appetitus ciborum viget, et victum lautior rem aeger sibi expedit. Interim dolores adhuc aliqui ad lumbos et ad hypogastrium; sitis et urinae copia continuant.

Die 5^a Octobris, urinae ad quindecim libras et ultra minguntur, quasi lactei coloris. Hodie sitis minor fuit. Aliqui adhuc ad spinam et ad hypogastrium dolores.

Die 6^a. Urinae pauciores, licet sapore urinoso non instructae, dulcedinem tamen haud offerunt, simul vero crassiores ac profundius tinctae sunt. Dolores ad lumbos et ad hypogastrium minus urgent.

Die 7^a. Amulam aeger potavit, ultra binas minxit. Sitis hodie et urina pauciores sunt, dolores fere nulli.

Die 9^a. Duas heri amulas potavit aeger, duodecim vero urinae libras minxit. Urina vitro suscepta *lacteum* omnino prae se fert colorem. Dolores adhuc aliqui ad lumbos.

Die 10^a. Urinae vix ad octo libras, potus ad amulam. Sudor, a multo jam tempore, nullus. Urinae interdiu paucae; ad noctem, quod fere constanter accidit, uberrimae. Dolores nunc nulli.

Die 11^a. Urinae iterum, ad duodecim fere libras, auctae, colore serum lactis aemulantes. Potus duas ad amulas. Dolores nulli.

Die 12^a. Heri amulam potavit; decem circiter urinae libras minxit. Dolores nulli.

Die 13^a. Sitis magna; amulam potavit, libras decem circiter minxit. Dolor nullus.

Die 14^a. Quinque libras aquae hausit, octodecim urinae minxit. Profundioris hæ coloris sunt, ac sedimentum album depo nunt. Major urinae copia constanter ad noctem excernitur.

Die 15^a. Libras quinque liquidi ingessit, sexdecim vero minxit. Sedimentum in urinis album, mucosum, crémori lactis simile se offert. Dolores nulli.

Die 16^a. Vinginti tres libras urinae excrevit, quinque vix libras aquae potavit, excepto scilicet vino et jusculis ad prandium cœnamque assumtis. Dolores nulli.

Die 17^a. Quinque libras potavit aquae; sexdecim urinae librae sunt.

Die 18^a. Octodecim urinae libras excrevit. Potulentorum quantitas quinque librarum fuit.

Die 19^a. Quinque libras aquae ingessit,

viginti unamque libras lotii excrevit. Ves-
pere, calor parvus, pulsus frequentior, os
siccum, observantur.

Die 20^a potus ad libras quinque, urinae
ad libras octodecim ascendunt.

Die 21^a. Urinae librae sexdecim, cum
potu hesterno, fuerunt.

Hactenus, ac donec lux major diagnosi
accederet, negativa quasi medendi fuit ratio.
Nunc decem grana aluminis omni bihorio
cum saccharo porriguntur.

Die 22^a. Sitis nonnihil imminuta, pau-
ciore potu indiguit. Urinae tamen novem-
decim librae excretae fuerunt.

Die 23^a. Urinae librae septendecim, sub
siti fere hesterna, defluxerunt. Tormina
sese manifestant, mox vero iterum dispa-
rent.

Die 24^a. Sub potu fere hesterno, urinae
librae tredecim excretae fuerunt. Tormina
nulla sunt. Aluminis nunc grana quindecim
porriguntur omni bihorio, ac serum lactis
aluminosum pro potu porrigitur.

Die 25^a. Urinae librae octodecim, potus
idem fuerunt. Aluminis grana viginti per
bihoria propinantur.

Die 26^a. Urina libras octodecim, sub[po-

tu eodem, constituunt. Alumen, praeter serum aluminosum, ad grana viginti quinque praescribitur.

Die 28^a. Tredecim libras lotii minxit. Tormina aliquot; alvus constipata. Alumen ad drachmam dimidiam assumitur.

Die 29^a. Urinae nonnihil imminutae. Alumen ad grana triginta quinque augetur.

Die 30^a. Decem tantum libras urinae minxit. Aluminis grana quadraginta exhibentur, cum sero lactis praedicto. Tormina nulla, alvus constipata.

Die 31^a. Urinis fere iisdem, aluminis grana modo quatuor, cum sero, ingeruntur.

Die 1^a Novembris. Febris heri vespere aliqua cum doloribus ad vesicae lumborumque regiones; sitis aucta. Urinae libras viginti quatuor aeger minxit; alvus clausa, tormina, et turbae nonnullae. Suspenditur alumen, ac duo vesicantia lumbis adponuntur. Absolutis feriis academicis, aeger ad nosodochium defertur. Nova hic se diabetis symptomata manifestarunt. Aeger idcirco, curationis inutilis taedio prehensus, ad domum propriam se contulit. Sors illius alterior ignota mansit *).

*) Historiam hujus morbi nobis communicavit jam Iau-

Tam ex violentia externa, morbum hic breviter modo expositum praegressa, quam ex primis ejusdem phœnomenis, fatemur, nos minus *diabeten*, quam aut *nephritidem*, aut *spinitidem traumaticam* exspectasse. Hinc in *Epitomes L. V. P. I. §. 479. p. 40.* diximus: „multis purulentam, cum urinis certe non raro copiose remistam, pro chylo imposuisse, „suspicamur materiam.“ Praesentis interim casus occasione ibidem subjunximus: „non „interim lacteum colore diabetem, viri scili- „cet septuagenarii hoc in *Ticinensi nosocomio* „degentis, observatione freti, existere pror- „sus negabimus.“ Quodsi nempe appetitum ciborum vigentem, sitim maximam, insignem urinae subdulcis quantitatem quotidie, per duos menses, excretam, et corporis, antehac torosi, maciem conspicuam spectemus; praecipua sane diabetis melliti symptomata, — et si colorem urinarum quasi lacteum, sedimentum in illis cremori lactis fere simile, rimemur; diabetis simul *chylosi*, *chyluria*, *coeliacae urinalis* auctorum, phœno-

datus Dr. *Joannes de Felici*, qui tempore feriarum academicarum, aegros, in clinici Instltuti cubiculis degentes solus pertractare solebat.

mena coram oculis versantur *). Ex altera tamen parte, considerando: sitim per plures dies vel a quinque libris aquae potuisse sedari, — urinas, die 6^a mensis Octobris, etsi sapore urinoso haud instructas, non tamen dulces, aut limpidas, sed ea die non minus, quam 14^a ejusdem mensis, profundo colore tinctas, ac simul crassas fuisse, — de dulcedine urinae binis modo in locis mentionem interjici, — chemicam vero urinarum analysin, quae saccharinam ex illis materiem, evaporationis ope, eduxisset, nullam, quod sciamus, institutam fuisse; dubium, si non de diabete, saltem de chyluria, eo minus suppressimere valemus, quod a diurna ponderis gravioris gestatione, et dolor magnus lumborum, et febris, quotidie ad meridiem exacerbari solita, — post mensem vero febricula lenta cum dolore lumborum lancinante, pungente, vehementiore successerint; qui dolor, ex lumbis cum hypogastrio respondens, et pruritum ad penem aliquando in-

*) Plura diabetis chylosi, vel lactei exempla collegit *Trnka*, Commentar. de diabete, c. 1. p 8. 9. Nunquam vero hic auctor ipse diabetem conspicerat. Hanc speciem cum fluxu coeliaco compararunt; et coeliacam urinalem vocavit *Ettmüller*, in colleg. pract. Sect. 19. c. 1. art. 3.

ducens, paulo ante ac urinae lacteas secederent, imminutus fuit. Non quidem hic vomitus, qui, praeter recensita symptomata, *renis* inflammations committari solet, — non inferiorum paralysis artuum, quae internos spinae lumbalis abscessus insequi consuevit, praecesserunt; ast vero symptomatum istorum absentia, suppurationis illam vel renalis, vel spinalis non conprobat; penis autem ille pruritus, de rene aut vesica affectis, quamvis aeger dolorem ad ultimas lumborum vertebrae retulerit, non aequivocum facile testimonium largitu. Est igitur, cur internam purulentiam, praeter diabetem, eo magis allato in morbo uspiceatur, quod jam *Ruyschius*, binos casis similes, id est *abscessus renalis cum diabete exempla*, descripserit *); qua sub rerum positione vel *lacteum*, vel *chylosum* eo minus appellari hunc diabetem vellemus: quod aut pus aut humor puriformis, aut forsitan muosa etiam materia, copiose cum urinis remsta, tum odorem lotii, tum saporem pervrtere, ac forse adeo hunc ultimum *subdulcer* reddere,

*) *Observ. anat. chiurg.* 13. et *dilucid. alvul.* cap. 4.

Obs. 13.

etsi aut chemica analysis, aut gustus hoc
necdum evicerint, videantur.

Cœterum, cum dubia hinc inde mota fuerint, num in ipso diabete urinarum copia, liquidorum ingestorum pondus superaret? exposita historia, in qua potulentorum ac urinarum mensura fideli calamo quotidie annotata fut, quaestionem hanc solvit. Etsi etiam a nobis in genere non aurificis statera, sed oculai modo judicio tam potus, quam urinarum quantitas apud nostros diabeticos examinata fuerit; longe tamen majorem istarum quam illius copiam fuisse constanter repeimus. Sic, ut pauca modo, ex multis exemplis referamus, aeger, ex diabete, in *Edinburgensi nosocomio A. 1778.* defunctus, cum ultra quatuor libras non bibisset, libra tamen urinarum duodecim minxit, et uina semper potum duabus pintis superavit pud *Cullenium* *). Sic puella Parmensis sape duplo majorem potu urinae

*) Dubitavit *Bosquillon*, in opere hujus viri, in *Gallium* idiom a se ipso translato, tam insignem urinae copiam potuisse excerni. Diabetem certe commentator ille non vlerat, cum et libras quinquaginta duas lotii, una die, hc in morbo evacuari conspexerimus, raro tamen sati exemplo.

quantitatem minxit, sumta cum studio liquidorum ingestorum cura *).

Ne tamen ad diabetis praesentiam, copiam urinae potu semper majorem requiri credamus, sicut nos ipsi in morbi hujus definitione animadvertisimus, §. 478. tam *Rolloi* **), quam *Cawleyi* ***) observationes vident.

Diabetes cum dolore pleuritico.

Ignatius de Filippi, annorum 36, agrorum simul possessor et cultor, antehac robustus, sanus ac pinguis, in cibo potuque sobrius, cum pridem colles inhabitasset, hos, sex abhinc annis deseruit, ac profundius prope *Padi* fluminis ripas, habitaculum elegit. Hic vero parens ejusdem, munere chirurgus, filio consuluit, ut, si hoc in solo humidiore saluti propriae prospicere contenderet, invi usu frequentiore hanc quaereret. Pater-

*) *Tommasini*, l. c. p. 8.

**) „We have hitherto found the quantity of urine to correspond with the quantity of fluid actually drank.“

Rollo, l. c. p. 391.

***) *Medical giornal*, Vol. IX. P. 3. An. 1788. p. 286. translat, in *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte B. XII.*
S. 102.

no igitur suasu cœpit quotidie binas vini pintas et amplius haurire; usu autem continuato augebatur indies meri desiderium bibendique necessitas. Post annum, a quo vinum majore copia hauriebat, sitim adauctam percipiens, quam consueta illius portione satis fallere non potuerat; rem male cessuram praevidens, ad aquam reversus, totidem hujus pintas quotidie potavit. Tres sic annos ad *Padi* lectum, salute prospera gavisus, transegit; his elapsis, ad patrios colles se contulit, ac, eidem vitae ritui fidelis, per biennium sanus hic vixit. Nec enim, praeter sitim, aut ciborum desiderium, aut alia functio morbosi quid habebat; nec major fuit urinarum, quam potus ratio. Mense vero Novembris 1788, sitis inextinguibilis hominem ex improviso, quin causa ipsi nota praecesserit, adoritur; quam sitim ut falleret, sex, pluresve aquae pintas, atque simul unam alteramve vini, assumebat. Praeter potus desiderium, ciborum quoque illud, ad voracitatem usque, adauctum fuit; nec interim in secrezione lotii, aut in viribus, morbosi quid animadvertis. Quamprimum vero ad bacchanalia pervenerat, sub siti potuque iisdem, urinas sibi indies augeri

sensit aeger, et abundantiore sub victu, vi-
res vacillare, corpus vero contabescere per-
cepit. Medicum tunc adit, pilulasque, e sa-
pone acido paratas, ab eo obtinet. Cum istae
nil efficerent, decoctum quoddam alter illi
praescribit ex carne bubula cum multis
amygdalis contusis confectum; sed nec istud
promissum effectum praestat; et praedictis
symptomatibus, nempe siti ardenti, continuae,
urinis, potum, licet copiosum, superanti-
bus, debilitati ac tabi, lentae quoque febris
ad noctem indicia junguntur. Mitis primum
haec fuit febricula; sub finem vero Aprilis,
evidenter facta, binis quotidie insultibus ae-
grum divexat. Post prandium scilicet pri-
mus ac levior ex illis, post horam, vel pau-
lo tardius dissipandus; alter vero, ac simul
fortior, aegrum media nocte invadebat, post
bihorium, vel trihorium, cum sudore ali-
quo ad frontem solvendus. Dolor quoque
intercurrens insurgit quo loco scapulae sini-
strae angulus inferior costis incumbit, fini-
timasque costas simul amplectitur; tussis
sicca, ad pectus irritationis sensus, cum do-
lore illo respondens, a levi frictione cito dis-
pellendus, accedunt. Sub profundiore in-
spiratione et a decubitu in latus sinistrum,

exasperatur dolor. Appetitus praeterea de-
jicitur; panem aeger ac solida quaeque
aversatur, moda illa, quae humida sunt,
expetens. Consilium nunc medicum aeger
explorat. Ex lienis infarctu, cuius tamen
desunt vestigia, repetuntur a medicis hujus
morbi symptomata. Resolventia igitur, et
carnium iterum juniorum juscula, pro potu
vero emulsio ex papaveris seminibus adhi-
bentur. Nec ista quidem aegro profuerunt;
debilitas enim, macies, ac sitis augebantur,
et Maji mensis initio febris magis fit conti-
nua, post prandium accedens, ad medium
noctem adaucta, et non nisi sub auroram
moderanda. Consultitur nunc venaesectio.
Per duos tresve dies ab ista, febris conticuit,
dolor evanuit, et appetitus non minus, quam
vires aegro videbantur restitui. Sed breve
hoc et fallax morbi levamen fuit: sitis nem-
pe, praesentis adhuc morbi insigne indicium,
neutiquam remiserat. Quare tres vix elapsi
erant dies, cum et febris, et pristina sym-
ptomata reversa sunt. Venam alteram ape-
riri jussit tunc medicus. Sanguis, licet ex
pede emissus, corium densum albumque
contraxit. Chnae decoctum cum lacte hau-
riendum jam praescribitur. Nullus ab isto

effectus fuit; nec alvum purgans medicina auxilium tulit. Post octo hinc dies, 31^a scilicet Maji, aeger ad nosodochium *Ticinense* defertur, ac experto hujus medico sequentia prodit symptomata: sitim intensam, potu superiorem, febrim lentam, dolorem pectoris molestum, tussim, a decubitu in latus affectum mox auctam, maciem ac adynamiam insignes, pedes sub itinere tumefactos, altera tamen die collapsos, urinas copiosas quidem, sed, quod primo intuitu morbus affectionem pectoris prae se ferre videretur, necdum satis observatas. Gummi igitur arabicum, et oxymel, in aqua soluta, pro medicina fuerunt. Post paucos interim dies, sub majore morbi indagine, cum, potulentis non ultra sexdecim libras ingestis, viginti septem urinae dulcescentis librae secederent, diabetis non ultro latuerunt vestigia; ac prium quidem serum lactis cum alumine paratum aegro propinatum fuit. Cum vero ab isto, et vomitus et aliae molestiae sequentur, aqua calcis cum lacte, pro potu, et chiae pulveres, praescripta fuerunt.

Hac tandem sub methodo, morbi facies sensim sensimque in melius mutari videbatur. Febris nempe primum imminui, et le-

vis modo calor ad medium noctem comparere, dein vires gradatim augeri, maciesque non parum dispergi cœperunt. Urinarum copia quotidie minor reddi, et cum potus libras quinque non excederet, illa ad libras 19. 14. ac 10 descendere est visa.

Hoc igitur feliciore sub aspectu, aeger nosocomium, sed infausto sub omine, desegruit: post tempus scilicet haud longum, eundem pristinum in morbum relapsum, ac tabe tandem extinctum fuisse innotuit *).

E p i c r i s i s.

Diabetem, de quo hic agitur, febris lenta citius, quam alios quos vidimus, comitata est, non sine labis in pulmone simul latentis suspicione. Quam facile autem diabeti phthisis pulmonalis, apud praedispositos, accedat, mulier 53 annorum, *Vindobonensis*, nos docuit. Haec nempe plurimis jam a morbis, a prima aetate, correpta, circiter ab anno, siti fere continua et superabundante urinae profluvio, quo etiam quatuor aut quinque ejusdem mensuras excerneret, laboraverat. Circa medium tandem

Decem-

*) Historiam nobis communicavit iterum *Joannes de Felici*.

Decembris 1795, ea derepente ab horrore, cum summa virium prostratione prehensa fuit. Continuavit hic status per quatuordecim dies; dein cessavit, reliquis tamen prioribus constitutionis infirmae incommodis. *Die 1^a Februarii 1796* in nosocomium *Vien-nense* aegra se contulit. Labes pectoris hic se manifestavit indubia. Urinas tamen, ob suam exsuperantiam examinavit versatus plurimum in rebus chemicis auditor noster Doctor *Spenchuch*, easque melleam dulcedinem offerre reperit. Ulterius igitur earum indolem explorans, ex quatuor earum libris, obtinuit substantiae bruneae, melliformis, ac admodum dulcis, uncias quatuor cum dimidia. Cum vero nunc phthiseos tubercularis, ac febris lentae subintrassent symptoma; urinae quantitas longe imminuta fuit: ut potu etiam multo minor aut paucior esset. Adstitit huic aegrae, sub ultimis vitae diebus ad clinicum Institutum delatae, *Antonius Fierlinger*, medicinae Candidatus. Fœminae vero hujus, die 17^a mensis Martii 1796 defunctae, cadaver, tuberculæ pulmonum suppurata exhibuit. Similem diabetis et quidem insipidi, in phthisin pulmonalem exitum, in fœmina, Vindobonense in nosodochium

suscepta, observavit *Josephus Frank*, ejusdem loci tunc medicus. Pleuriticos quasi dolores vir a diabete insipido enectus, expertus est *Ticini*; ac *Friburgi* in Brisgovia, vir celebris, *Eckerus*, et hos thoracis dolores, et phthisin pulmonalem in diabetico conspexit; quae observationes eo majorem attentionem mereri nobis quidem videntur: quod jam *Hippocrates*, signum in phthisi lethale *sordes hominis in auribus dulces esse dixerit* *); quod hanc divi senis prognosin apud fœminam, tabe defunctam, confirmari videbit *Hünerwolf* **); et quod *Listerus*, postquam urinas in diabete paulatim dulcescere advertisset, adjunxerit: „huic rei fidem facere phthisicorum plurimorum in ultimis vitae mensibus, insignem ac ad nauseam usque molestam *sputorum dulcedinem* ***).

*) Lib. VI. Epid. Sect. 5.

**) Eph. N. C. Dec. II. ann. III. obs. 91. p. 192. *Cassius* etiam jatrosophista, cerumen aurium in moribundis dulcem saporem agnoscere testatus est. *Naturales et medicinales quaestiones*. Edit. Gesner. 8. Tigur. 1562. vid. *Sprengel*, *Geschichte der Arzneykunde*, II. Th. S. 119.

***) Vid. *Allen*, *Synops. c. VII. art. 1543*.

Diabetes cum enuresi.

Senex 60 circiter annorum, aegrorum conductor *Papiensis*, vir antehac obesus et pinguis, jam ab anno quainplurimum urinae in se ipsum minxit, non semper tamen facultate, lotium retinendi, destitutus. Quotiescumque vero urinae praeter voluntatem huic viro non effluebant; brevi temporis spatio magna earundem copia in vesica colligi, ac tandem, ad matulae vel maximae plenitudinem, excerni solebat. Post varia remedia, contra hunc morbum incassum praescripta, cum aeger non adeo macilentus reddi, quam habitum leucophlegmaticum prae se ferre, simul vero pedibus intumescere coepisset; ad eundem, tunc rure degentem, quo cum illius medico ordinario circa morbum hunc rebellem conferremus, accersiti fuimus. Virum quadratum, ac, ut referunt, quondam robustum, nunc pallidum, facie tumidulum, fractum viribus, in aegro, cui pedes simul, ad suras usque oedemate lababant, invenimus. Pulsus minime febriles, sed potius lentiores fuerunt. Appetitus vigebat; sitis erat intensissima. Urinas quamplurimas, tum nolenti aegro in lectulum au-

fugere, tum ab eodem aliquando libere deponi, pallidas ac minime fœtentes, percipimus. Cum de paresi vesicae prima nobis cogitatio subintraret; num insultus apoplecticus praecessisset; vel num aeger violentiad ad lumbos, aut rheuma, aut impetiginem, quae forsitan ex parte alia recessissent, inquisivimus. Nihil vero ex istis, vel ex causis aliis, accusari potuerat. Omnem indicationem hinc ex debilitate aegri, tam universali, quam locali, scilicet ad vesicae sphincterem, desumsimus, ac opportuna huic malo remedia proposuimus. Post octiduum, de novo accersiti, nullum ex praescriptis morbi levamen haberi, experti sumus; cum vero prope lectum aegri, vas quoddam lignum, aqua, ut videbatur, ad mensuras novem circiter, repletum videremus; quem in finem hoc liquidum tali loco servarent, interrogavimus. *Urinam* esse referunt, quam, utpote nycthemeri spatio, praeter illam, quam aeger in semet ipsum minxisset, emissam, ut illam nobis intuendam offerrent, conservaverint. Partem hujus urinae, vitro claro susceptam, pallidam, ac straminei coloris, odoris, ab illo urinae, prorsus diversi, fere mellei, eandem esse reperimus. Sub

hac urinae conditione diabetis, saepius jam conspecti, mox idea nos percellit, ac eandem igitur gustari curavimus. Dulcis erat sapor hujus lotii; succo, quem *Betula Alnus*, verno tempore incisa, fundit, tum gustu, tum colore simillimi. Instituta nunc rectiore morbi flebilis diagnosi, urinae copiam *Ticinum* deferri, ac chemicae analysi submitti jussimus. Docuit haec, de quo amplius dubitari non licuerat, saccharini principii huic urinae magnam inesse copiam. Quaecunque vero contra hunc morbum tentaremus auxilia; nihil ea profuerunt. Aliquando, secrezione urinae conspicue imminuta, corpus aegri integrum, imprimis abdomen, ab aquis intumuit, fluentibus vero magis magisque urinis, tumor omnis concedit, ac macies corporis vel maxima comparuit. Ad alios nunc medicos miser, sed eodem sub fato, se convertit, ac eidem tandem post annum succubuit.

E p i c r i s t s.

Descriptus hic diabetes mellitus cum enuresi, videtur fuisse *diabetes indesinens Aretaei*, „in quo non cum intermissione lotium redundunt, sed perinde ac canales laxati es-

sent *). Exemplum hoc levi calamo in *Epitomes* L. V. P. I. §. 479. p. 41. tetigimus. Plura ejusdem indolis specimina collegit *Trnka* **), ac simile descripsit *Daniel* ***). Cœterum saepius nos *diabetem cum hydropo alternasse* observavimus; atque magnam, utrumque inter morbum, affinitatem intercedere, mature suspiciati sumus. Cum vero haec nobis primum idea non parum satisfaceret; casu quondam, in vetusti scriptoris locum de diabete incidimus, qui hunc morbum cum hydropo eundem esse, jam diu ante nos, edixerat †). In sexto interim *epitomes* nostrae libro, P. I. illam ipsam, de affinitate hydropis cum diabete, ideam, cum non spernendo certe argumento suffulsimus: aquae scilicet per abdominis paracentesin *Petropolis* ex hydropica eductae cum exemplo, quae aqua *saporem*, qualem diabeticorum urinae

*) De morbis diut. L. II. c. 3.

**) l. c. p. 19.

***) Beiträge zur medicinischen Gelehrsamkeit. 1. Th. S. 130.

†) *Gavioponti*, vetusti admodum medici ad totius corporis aegritudinem remediorum praxeon. Lib. V. cap. XVIII. p. 102. „Quibus haec passio (diabetes), inquit, contigerit, ut *hydropici* juvari debent, quoniam prope est illis una passio.

offerunt, *dulcem*, viro claro *), nulla hujus indolis hypothesi imbuto, exhibuit. Quamvis nempe longe non omnem hydropem de diabetis natura participare contendere velimus; aliquando tamen eandem vasorum exhalantium vel abdominalis, vel cavi corporis alterius, quam vasorum renalium, urinas scernentium, conditionem, qua serum, quacunque demum ratione, parte saccharina abundans ex sanguine separent, subintrare, ac ea quidem ratione vasa illa, nunc hydropem, nunc vero diabetem generare, supponimus. Summatim, *diabetes* nobis magnae familiae morbosae, generico suo nomine hucusque destitutae, sed super animale non magis, quam vegetabile super regnum late dominantis, modo *species* esse videtur: cuius character principalis in abnormi secretione materiae maxime nutrientis et saccharinae consistat, vel per vasa renalia haec ipsa, *diabetis* sub nomine, — vel per arteriolas cutaneas, sub *sudoris colliquativi* appellatione, — vel per vasa bronchialia, sub *phthiseos pituitosae* titulo, — vel per tunicae intestinorum villosae exhalantes ramulos, sub *fluxus coeliaci* voca-

*) *Rudolph*, Academiae Imperialis Petropolitanae socio,
et Acad. med. chirurg. Professori.

bulo, — vel denique per uteri, vaginae, urethrae, vesicae, aut ani superficiem, sub *fluoris albi*, *medorrhoeae*, *haemorrhoidum vesicas*, *intestini recti significatione*, e corpore aufugiat. *Chymorrhoeae*, vel *chylorrhoeae* nomine hoc morbi genus amplissimum, indignum non foret; et si *lactis secretio* apud sexum fœmineum, ut functio naturalis, nec morbosa, revocari huc non potest; quandoprinum ea vel limites praescriptos, *gallactirrhoeae* sub nomine, excedit; vel, ut aliquando res contigit, viriles per mammae locum habet: tunc ea jam morbus, *diabeti adfinis*, est, neque liquidi color secreti vel pallidus, serosus, vel lacteus, neque gradus mali minor aut major, neque demum substantiae saccharinae, quae ex lacte, et quae ex urina diabetica chemice elicuntur, diversitas, differentiam hic pariunt.

Cystidis felleae dilatatio morbosa.

Faemina annorum circiter quinquaginta, corpore male conformata, dolores olim plures in hepatis regione passa, jamque diu cutis flavescente colore instructa, post novos ejusmodi dolores cum vomitu, ab ictero

universali, et a febre correpta fuit. Post plures ab hac accessione dies, nosocomium *Mediolanense* aegra petiit. Tunc ea, praeter flavum totius corporis et oculorum colorem, pulsusque febriles, tumorem quendam, qui ab hypochondrio dextro, usque ad hypogastricam regionem fere extendebatur, exhibuit. Tumor hic ad attactum dolebat, huic ipsi resistens; diligentius tamen exploratus, fluctuationem quandam prodebat. Urinae croceae, alvus tarda, faeces subvirides ac durae, lingua muco albo ac tenaci defoedata, os amarum, fuerunt. Horripilationes hinc inde accusantur.

Videbatur primum tumor cysticus huic malo subesse, cuius natura non tam facile potuerat definiri. Cum vero symptomata in unum collecta considerarentur, de vesicula fellea, bile turgida dubium subesse vix potuit. Pilulae hinc, et potus ex sic dictis resolventibus praescripta fuerunt. Supervixit aegra per septem adhuc dies. Sub istis, diarrhoea successit ex faecibus constans tum foetidis, tum sanguine commistis. Insignis virium prostratio, hoc alvi profluvium insecura, et aliqua mentis alienatio, fecerunt, ut resolventibus suspensis, majorem vitalis

indicationis rationem habuerint medici. Per-
tinaciter interim diarrhœa, colliquativae qua-
si indolis, tympaniae sub fine morbi simul
juncta, perseveravit, ac finem tandem vitae
miserae imposuit.

Sectio cadaveris.

Hepar aliquantis per hinc illinc obstru-
ctum duriusculum, cystis fellea, bile copiosa
et fluida turgidissima, ita ut quintuplo, vel
sextuplo justo major esset, reperta sunt.
Ductus hepatici, cysticus atque choledochus,
ad insignem amplitudinem extensi fuerunt;
nullibi tamen calculus comparuit. Ductus
bilis communis, prope duodenum intesti-
num, scirrhosus, pancreas quoque durum et
obstructum fuerunt.

Epicriss.

Hepar hujus aegrae cum cera quidem in-
jectum, nobisque *Mediolano*, ab egregio Au-
ditore nostro, *Augustino Casanova*, M. D. sol-
licite transmissum, sub via interim dirup-
tum fuit; unde pars ejus modo aliqua, po-
tissima tamen, in museo pathologico *Tici-
nensi* conservata, ad nos pervenit. Effigies
visceris injecti sequens est:

Tabula VI.

- aaa. Pars hepatis injecti.
- bbbbbbb. Rami ductus hepatici.
- c. Truncus ductus hepatici.
- dd. Vesicula fellea dilatata.
- e. Ductus cysticus mire contortus.
- f. Ductus choledochus.

Icteri hujus lethalis causa, in scirrho, finem ductus choledochi, quo intestino duodenio inseritur, obsidente, et, quod dolemus, hic resciro, constitit. Etiam sine tanta cystidis felleae extensione, iterum, ad omnia rebellem, a scirrho pancreatis, vicinum sibi ductum choledochum comprimente, quondam deteximus *). Facile tanta cystidis felleae dilatatio, cum hoc malum diuturnum et horripilatio, et febris, et dolor, ab attractu auctus, et fluctuatio comitarentur, pro hepatis, vel et peritonaei pro abscessu incautis imposuisset, quemadmodum celebri quondam *Petito*, vix non imposuit. Icteri tamen praesentia, positio tumoris quo loco cystis fellea residet, justam circumspe-

*) Similia viderunt alii, imprimitis *J. F. Meckel et Koreff*, Diss. sistens theoreticam considerationem icteri novis quibusdam causis simul superstructam. Halae 1763.

cto medico, bilis, non puris collectionem hic latitare, suspicionem moverunt. Non interim haec sola, quo vera retentae bilis causa pateret, suffecit. *Duverneyus* quondam ductum choledochum liberrimum, ac simul adeo, ut digitus eidem immitti potuerit, dilatatum observavit; cum interea cystis fellea, summopere extensa, duas materiae biliosae pintas continuerit. Quamvis autem fibris muscularibus cystis fellea destituta sit; nimiae tamen ejusdem repletioni, parietum illius in bilem contentam, non minus quam vesicae urinalis nimis extensae in lotium inertiam, vir celebris, non vanis ut putamus ex rationibus (uteri, de cuius fibris muscularibus diu disputatum fuit, violenter non minus sese sub partu contrahentis exemplo) attribuit *).

Quam facile cystis fellea, aut a bile, aut ab aquis turgida, pro tumore cystico habetur, ut audaci adeo manu non semel pro tali fuerit sauciata, in *Epitome*, sub tractatu de ascite, jam indicavimus; et quam magnam sibi attentionem bilis vesicula nimis extensa, apud gravidas mulieres mereatur, illustri quondam faeminae parturientis exem-

*) Mém. de l'acad. R. des Sciences. A. 1701. p. 200. sq.

plo, cui mulieri haec cystis, cum utero vicino adhaerens, sub partu rupta, bilis vero ex hac descendantis actione abscessus circa ovarium natus fuit, et vaginam exesit, docuimus *).

Cum plura nobis in sexti voluminis *Epitomes*, parte secunda, tum de hac materia, tum de *ictero* dicenda reservemus; in id unum hic attentionem movebimus: *pneumatos in* scilicet *intestinalem*, ex bilis nempe in canali cibario defectu, in hac quoque aegra, ut multis in aliis, occurrisse.

Vesiculae felleae inflammatio et gangraena.

Promissam in secundo *Epitomes* volume, §. 247. p. 271. *vesiculae felleae inflammatae* historiam hic tradimus, qualem nempe in propriis diariis adnotatam reperimus. Mense scilicet Decembris 1787, famina, quadraginta circiter annorum, ad Institutum clinicum *Ticinense* defertur, per quatuordecim jam dies ab hepatitide detenta. Summus, et nec minimum attactum ferens, dolor ad

*) *Observationes medico-chirurgicae. Obs. I. de singulari abscessu hepatico &c. actis Moguntiniis A. 1783. insertae.*

dextrum hypochondrium, nullus vero ad scapulam, erat. Vomebat aegra hinc inde; abdomen modo parum tumebat. Icterum nunquam, sed colicos aliquando dolores experta fuit mulier. Cum pulsuum conditio id exigere videretur, venam aliquoties secuimus, partemque dolentem emolliente cum decocto fomentavimus. Dum haec minime dolorein lenirent; vesicans emplastrum hepatis regioni impositum fuit. Decoctum tamarindorum cum sero lactis, simulac clystres praescripsimus.

Postquam vero aegra per tres dies apud nos commorata esset, frigus forte eam prehendit. Gangraenam tunc praediximus. Quarta die, 18^a scilicet Decembris, e vivis erepta fuit mulier.

Sectio cadaveris.

Hepar praegrande fuit. Lobus ejus dexter, convexa sui parte et inferiore, a puriformi materia obtectus erat, cuius ope leviter cohaerebat cum peritonaeo costas spuriias obtegente. Peritonaeum nequaquam, nisi in levissima parte, quae paulo intimius cohaerebat cum hepate, magis rubrum erat. In superficie convexa hepatis, durioris ac

tumidioris hac in parte, semicirculus adparabat lividus et ater, pollicem latus, et pollices fere tres pro diametro ita habens, ut vesiculae felleae regio eidem fuerit pro centro. Pars circulo intermedia coccineum magis hinc inde colorem, alibi vero maculas gangraenosas superficiales offerebat. Loco vesiculae felleae, comparuit *tumor albus*, splendens, quasi tendineus, oblongus, profunde ad hepatis incisionem prope lobulum *Spigelii* descendens, cum vicino colon intestino connexus, ac duodeno etiam adhaerens, durus, tactui resistens. In parte hujus tumoris crassiore, ad limbum hepatis, abscessus erat adpertus, sphacelosus, pollicem habens latitudinis. Ex laterali et sinistra hujus parte prominebat calculus nudus, felleus, triangularis, apicem suum per duas fere lineas super ulcus, perpendiculariter erigens. Vesiculam felleam hic subesse mox visum est; hinc tumorem hunc in longum adperuimus. Tam crassi erant parietes, ut pollicem aequarent, ex infinitis lamellis albissimis, sibi parallele superimpositis, constructi, et cartilaginis in modum splendentes et albi. Adparuerunt in medio cavoque tumore calculi duo, castaneae fere

magnitudinem habentes, fere rotundi, pluribus aliis magis parvis, uno iterum trianguli, circumdati. Interna vesiculae felleae superficies, sphacelosa, foetidissima, crassa et cinerea materia oblita, non plena, ita ut nihil bilis adesset. Detersa per spongiam superficie, comparebant sinus, ex hac in profundum hepar descendentes: quibus compressis, purulenta, melliformis, ex cinereo nigrescens materia foetidissima effluebat. Hepar igitur, quoad circulus ille externus, lividus, illud notabat, interius videbatur excavatum, circulusque ille gangraenae internae confines indicebat. Hoc viscus igitur morbosum, museo pathologico commissum, sequentem nobis adspectum exhibuit.

Tabula VII.

- aaa. Hepatis lobus minor, vel sinister.
- bbb. Hepatis lobus major, seu dexter.
- c. Lobulus Spigelii.
- ddd. Vesiculae felleae parietes crassiores.
- ee. Calculi fellei cystidis majores.
- ff. Membranae, cystidem felleam cum intestinis colon et duodeno connectentes.

Epi-

E p i c r i s s.

Plurima quidem vesiculae felleae praeter modum dilatatae exempla, tum nos ipsi conspeximus, tum alii descripsérunt *). Rara inflammationis, hanc cystidem occupantis, — rarissima vero illa sunt, quae vel ex calculis felleis, vel ex vicinarum partium incendio non venerint. Suppurationes etiam hujus vesiculae sat copiosae, et quae partim eandem, vix non omnem, destruxerint, descriptae fuerunt **); nullibi vero, quod sciamus, gangraenae, hujus cystidis cavum devastantis, historia exstat. Rarissima etiam dicatur tanta parietum hujus vesiculae crassities, et media super gangraena splendor et *albedo*. Hanc ultimam tamen jam *Lancisius* conspexit ***), atque illa ex puriformi, numerosissimis parietum istorum lamellis cellulosis interposita et condensata materia derivanda est. Sub vita aegrae magis protracta, facile calculus ille felleus, jam fere duas ad lineas hoc e tumore prominens, viam sibi in cavum abdominis pa-

*) Potissima ex istis collegit F. G. Voigtel, Handbuch der pathol. Anatomie, III. B. S. 70 — 73.

**) I. c. p. 76 — 79.

***) Opera omnia, p. m. 46.

rasset. Nisi morbus, antequam ad nos ae-
gra accessisset, per duas jam hebdomadas
durasset; inflammatae cystidis felleae sym-
ptomata forsitan, ab illis inflammati hepatis
ipsius, magis distincta nobis sub oculos ve-
nissent; notari interim merentur: doloris ad
scapulam vel humerum, aut jugulum absen-
tia, ac tumor abdominis fere nullus. Sup-
plebit tamen quodammodo ea, quam in viro
Bruchsaliensi conspicuo quondam fecimus, ob-
servatio. Hic scilicet, quin ullam unquam
in facie, hucusque semper rubra, flavedi-
nem, aut ullum hepatis affecti signum no-
bis exhibuisset, de atrocissimo dolore ad
limbum costarum dextri lateris spuriarum,
subito conquestus est. Attactum digiti non
ferebat hic dolor; nec tamen aut alvus ob-
structa erat, aut venter praeter morem tu-
muit. Vomituritio quidem, nullus autem
vomitus urgebat, nec dolor fuit ad scapu-
lam. Peritonitidis muscularis, ejusque
rheumaticae, idea tunc nos tenuit, et lini-
mentum loco dolenti volatile inungi cura-
vimus. Die sequente, cum de vesicante
emplastro, dolenti loco admovendo cogita-
remus, aegrum ab ictero universali deten-
tum, a dolore vero circa costas liberatum.

deprehendimus. Vel spasmus fuerit vesiculae felleae; vel obstaculum quodcumque bilis ex ea effluxum impediverit; vel denique rheuma hos cruciatus excitaverit; dolor tamen solam ad cystidem concentratus, nec sensibilem abdominis tumorem, nec juguli aut scapulae consensum, solo scilicet ventriculo symptomatice affecto, induxit; quo igitur signo, cystidis inflammationem biliferae, ab hepatis incendio, in quantum haec mala non confluunt, distingui posse arbitramur. Icterum hoc in casu quasi criticum fuisse, doloremque cystidis sedasse: ex bilis, hucusque in systemate biliario arctius coercitae, communem nunc humoram in alveum susceptione, ac minore jam in ductum choledochum impulsu, repetimus. Cum vero icterum hujus viri, blandiore solventium atque evacuantium usu, quin calculi secesserint, sat facile sanaverimus; non tam felix sane mulieris, cuius historiam exposuimus, ob scirrum insanabilem, sors esse potuit.

*De Trismo infantum Tergesti endemico *).*

Inter proles *Tergestinas*, vix utero exclusas, maxillae inferioris spasmus endemicus est, quem vocabulo corrupto *Muxce* adpellant incolae. Post tertium a nativitate diem hic morbus fœtum, etsi partu prospero, ac sine ullo morbi, aut labis organicae vestigio in lucem editum, etsi bono colore praeditum, voce sonora vagientem, ubera cum sapore sugentem, et meconium sat abunde egerentem invadit. Prodromum hujus mali signum, plumbrei coloris circa labia circulus est. Mox voce miseri privantur, ubera cum aviditate quaerunt; sed ob oris constrictiōnem sugere impediti, pauculum illud lactis, quod nutrix instillat, libere ad stomachum deducunt.

Post praevia haec symptomata, augetur sensim sensimque pusionum debilitas, vagitus in lamenta permutantur, tremor aliquis eorum ad artus suboritur, extremitates tumefiunt, livescunt: frigidae ac duriores redundunt; donec octava circiter morbi die,

*) Ex epistola R. Protomedici Doctoris *Reuss*, die 27. Decembris 1795. *Vindobonam* nobis transmissa, et ex Italico idiomate in latinum translata.

cum stertore respirantes, moriantur convulsi.

A longiore retro tempore antiqui hujus civitatis medici quaecunque demum ipsis ad spasmum indicari visa sunt, remedia huic morbo opposuerunt. Qui nostris temporibus medicinam mecum *Tergesti* exercent, meliora ii antispasmodica, et alia auxilia, castoreum, moschum orientalem, camphoram, balnea tepida, leniora evacuantia, enemata emollientia, oleosa, praescripserunt. Hirudines quoque, ac tandem escharotica, sed omnia incassum, tentavimus; nec me pudet fateri, nullum a me infantem, quem morbus hic indubie lethalis invasisset, ab interitu fuisse servatum.

Cum primum, anno 1767, mense Aprili, hanc ad urbem adpulissem, incognitum prorsus mihi pro *trismo*, a *Sauvagesio* egregie descripto, habebam; cum vero nunc ipsemet eundem observasse, differentiam in eo esse positam expertus sum: quod symptomata morbi nostri leviora, — in trismo *Sauvagesii*, graviora, et quandoque ipso universalis cum tetano combinata sint. Hunc scilicet ultimum morbum *Tergestini* nominant *sciare*, Galli vero *Sarette* adpellant, quadraginta interdum

per dies extensum, et sensim sensimque in salutem terminandum; cum, e contrario, prolium nostrarum affectio *octavum* vix diem attingit, omnemque medicorum industriam, ut prorsus supervacaneam, eludit.

Vera hujus morbi causa hucusque nos latet. Sunt, qui illum urbis nostrae expositioni physicae ac territorio maritimo attribuant; sunt, qui eundem ex atmosphaerae apud nos inconstantia, ex subitaneo illius in frigidam transitu, pusionibus his, ob suppressae transpirationis rationes funesto, vel ex hiemis apud nos rigorosioris effectu derivent. Concedo quidem, ex mutatione atmosphaerae praecipiti nervosum systema, atque irritabilitatis momentum non parum perturbari, et ex rigore hiemali similiūm morborum causas conspicue augeri; ast vero, cur hæc non quovis anno vel in *Bosniae*, vel in *Turciae*, vel in *Moscoviae* Imperiis contingent, ut in quibus, fœtus, vix utero exclusi, corpus integrum gelidissimæ, et quidem rigidissima sub hieme, immergitur? et cur *Tergestina* in urbe spasmus, de quo agitur, sub cœlo etiam aestivo atque fervidissimo, continuat non modo, sed strages adeo majores inducit? cur *Istriae* in urbe,

Muggia vocata, et a *Tergesti* non nisi quinque miliaribus distante, ubi medici stipendiati vices antehac agebam, hic morbus, cum tamen et positio geographica, et ventorum conditio eaedem ac apud nos observentur, mihi nunquam oblatus est?

In modum, quo obstetrices nostrates post partum cum prolibus procederent, inquirens, mox expertus sum: quod, usu hac in civitate antiquo, insiae illae mulieres, recens nati infantis ori digitum unguibus armatum inferre, et linguae fraenulum cum impetu lacerare solere, credentes nimirum quod absque tali auxilio nec ubera sugere, nec verba quondam articulate proferre puer valeret. Consuetudini tam stolidae ac barbarae, qua nempe linguae, tot vasorum ac nervorum ramulis ornatae structura tam facile laeditur, obicem posituri, tum ego ipse, tum socii hujus civitatis medici, obstetrices, quo tam stupidam consuetudinem deparent, atque, si quae circa linguam operatio instituenda ipsis videretur, chirurgo experto eandem committerent, graviter et sub amotionis a munere comminatione monuimus.

Quod ex indice mortuorum colligo, a primo mensis Martii, currentis anni die,

quo *Protomedici* honorificum officium in me collatum fuit, ad ultimum Decembris, *quinquaginta octo* modo proles, hinc minore longe, ac pridem, numero, defunctae sunt; sed morbus de quo agitur, apud nos etiamnum continuat, et forsitan inter obstetrices mulieres nostrates, erunt aliquae, quae praedicto temerario in abusu occulte perseverent. Tuam igitur vir spectabilissime, pro mea in Te fiducia, opinionem, num scilicet morbus, quem hucusque descripsi, ad Trismum *Sauvagesii?* qualis ejusdem tibi origo, quae mendendi methodus, pristina opportunior, arripienda tibi videatur? efflagito.

E p t c r i s i s.

Tardius nobis haec epistola redditâ fuit, et cum eidem respondendi occasionem quaereremus, temporum hanc injuria prohibuit. Non magna interim viri clari jactura id contigit; nam praeterquam quod digitis obstetricum audacibus tantum quidem morbum ac *Tergestini* fœtus patiuntur, adscribendum esse ex eo nobis verisimile non esset: quod inepta hae mulierculae et in *Germaniae* quondam provinciis perversam hanc *linguae*, ut ajunt, *solvendae* methodum absque effectu

tam lethali secutae sint; causam satis certam, quae hunc trismum nascentium *Tergesti* endemium induceret, indicare, nobis minime licuisset. Nigritarum in Americam deportatorum fœtus, nisi calidore in atmosphaera per octiduum et ultra degentes, primis a nativitate diebus crebrius a tetano, vel trismo trucidari, — frequentem nascientium hunc morbum esse in *Jamaica*, *Carolinae meridionalis*, *Cayennae*, aliisque cœli calidioris regionibus, hoc quidem ignotum nobis esse haud potuit *). Ipsam per *Hispaniam* spasmum maxillæ inter infantes endemium esse, novimus **); sed quae *Tergestum*, civitatem soli meridiano minus, quam aliae *Italiae* magis meridionalis partes, expositam, hujus mali occasio premeret, hoc quidem indicatu nobis perdifficile visum est. Non interim nos latet, hanc urbem, quam nos ipsi quondam visitavimus, tum altioris ad radicem montis; tum profundiore ad maris adriatici ripas et angustiore territorio ex-

*) *Hillary, Observations on the epidemical diseases in the island of Barbadoes.* Lionel Chalmers, in London Medical Observations and Inquiries Vol. I. *Bajon, Mémoires*, I.

**) *Hyacinthi Andreus, Append. ad compend. Riveris*

structam, nunc ab aquilonaris venti turbini-
bus gelidissimis perflari, ac vix non rigescer-
e; nunc vero a solis meridiani radiis, tum
a vicinis saxis, tum ipsius tranquilli maris a
speculo reflexis, vix non exuri; maximis ve-
ro ac subitaneis atmosphaerae mutationibus
exponi. A solo quidem aere maritimo tris-
mum endemium sub cœlo calido produci,
minus est probabile *); sed cum a tergo sa-
xoso, fere igneo, et a splendente maris un-
da, solis radii unum quasi in punctum, un-
dique circumscripsum, concentrantur, aeris-
que magnae simul vicissitudines conspirant,
nil nobis ad tetanum vel spasimum maxillæ
in tenerima nascentis hominis aetate pro-
ducendum, deesse videtur. Sporadici qui-
dem, et a nobis observati, trismi apud nas-
centes causæ variae esse possunt, atque
maxime nunc in meconii retentione, nunc in
cibis fœtui praepostere ingestis **), nunc in
refrigerio subitaneo ***), nunc vero in lacte
matris perterritæ †), vix tamen, ut nobis

*) *Dazille, observations générales sur les maladies des climats chauds.* vid. *Hufeland N. Annen, T. I. p. 265.*

**) *J. Hamilton observations on the utility and administration of purgative medicines.*

***) *Formey, med. Ephemeriden, I. B. 2. Heft, S. 19.*

†) *Ackermann, de Trismo, p. 26.*

videtur, ex funiculi umbilicalis, qui sensu
destituitur, laesionibus *), querendae sunt;
sed morbi talis *endemici* ratio, ex causa ma-
gis generali repetenda, non alia, saltem a
nobis, ab ejus sede nimis remotis, quam ea,
cujus mentionem injecimus, adduci potest.

Quodsi vero haec ita se habeant; mulie-
ribus illius civitatis praegnantibus, saltem
gracilioribus, et quarum opes id genus au-
xilii concedunt, ut partum atque puerpe-
rium in loco magis elevato, adperto, et ab
urbe marique distante absolverent, — qui-
bus vero focum domesticum deserere non li-
cet, ut illae, saltem novem a puerperio die-
bus, prolem anxie a quovis refrigerio, aesti-
vo quoque tempore tam facili, custodiant,
ac ut lacte proprio, eoque solo, sub debita
animi quiete, prolem nutrient, consilio es-
semus.

Sanguinis in cavum pectoris effusio.

Martinus Schmid, Medicinae Doctor, *Vin-
dobonensis*, aliquot ante dies in sublevando
pondere viribus superiore, dolorem in pe-

*) *Lafosse*, avis aux habitans de Domingue. *Moranl*,
vermischte Schriften, II.

ctore persensit, qui dolor post breve tempus auctus fuit. Venam sibi quater aperiri, posthinc medicum seniorem in auxilium accersiri curaverat aeger. Spasmodicae indolis hos pectoris dolores esse credens, volatilia hic praescripsit. Nullum abhinc malorum levamen fuit.

Vigesima prima mensis Octobris 1799, hora quarta matutina, amicus alter medicus accersitur. Cum, pectore oppressus, loqui vix posset aeger, in symptomata urgencia hic magis, quam in istius, interceptam saepe, relationem, attentus esse potuit.

Caput erat penitus liberum, mens sibi praesens, oculi lucem ferentes; acies tamen eorum valde infracta, lingua madida, vix non pura, sitis nulla, sputa pauca, aliquibus striis sanguineis intermista, adpetitus non prostratus, ructus rari, non olentes, fuerunt. Facies sibi non similis et admodum mutata fuit. Tussis fere nulla, respiratio impedita, loquela dolorem in pectore excitat. Dolor hic ad praecordia haeret interna, semper quidem urens, ad certum tamen temporis intervallum vehementius sese manifestat, mox evanescens, breviter atrocius redditurus, et sic alternans. Ardor, dolore

etiam evanescente, permanet. Ab attactu dolor pectoris non augetur. Decubitus aegri in utrumque latus, parum impeditus est. Abdomen attatum satis rudem ubique tulit, molle, nec tumidum fuit. Refertur, urinam quidquam magis tinctam, pleno tamen flumine fuisse excretam. Calor corporis moderatus, cutis sudore vaporoso madida, mollis est. Vires non penitus deletae. Pulsus interim, ultra quinque minuta prima exploranti, in manu dextera nullus comparuit; in sinistra, parvus, debilisque, minime tamen frequens fuit. Sub dolore vero ad praecordia redeunte, pulsationes arteriae et hunc ad carpum nullae sunt. Tendinum subsultus se nulli manifestant.

Difficilis admodum hujus morbi diagnosis fuit. Ad vitium interim topicum in cavo thoracis concludi licuit. Ex pulsum cessatione repetita et longiore, non minus quam ex vultu, sibi prorsus non simili, fatalem morbi exitum amicus praevidit medicus. Cum vero nullum sic dicta antispasmodica effectum hucusque praestitissent, mixtura oleosa, cum tincturae anodynæ guttis decem et syrupo papaveris, praeterea vero enema ex aqua chamomillæ, cum ejusdem

tincturae guttis viginti, ac fomentationes emollientes ad pectus, praescripta fuerunt. Doloribus interim continuo auctis, et quovis sub reditu acrioribus, ad camphorae simul ac moschi usum confugitur; incassum vero haec omnia propinantur, ac ipsa hac die, hora quarta pomeridiana, vitae finis impunitur.

Sectio cadaveris.

Habitus *cadaveris externus*, nihil, quod notatu dignum esset, obtulit. Pulmo dexter, praesertim vero lobe ejus superior, cum pleura concretus detegitur. In parte hujus lobi pulmonalis superiore, tubercula duo, ad nucis juglandis magnitudinem aucta, et dura, comparent. Facies cœterum hujus visceris exterior, sana, nec ullum inflammationis vestigium fuit. In cavo dextro thoracis, etsi cauta manu adperto, sanguinis nigri uncia una cum dimidia stagnavit. Pulmo sinister, pleurae hinc inde firmiter concretus, cœterum vero sanus fuit. Cor ipsum cum suo velamento, nil morbosi ostendit, nec ullum in ejus vasis majoribus vitium, aut signum aneurysmatis, varicis repertum

fuit. Viscera abdominis meliore modo constituta fuerunt.

Hanc nobis morbi descriptionem communicavit indefesse vir industriae, ac noster quondam in clinico *Vindobonensium* Instituto Auditor, *Josephus de Sandorffi*, Hungarus. Antequam vero tristem hanc morbi commentemur historiam, sequentem e nostris dia-riis extrahimus affectionis non minus lethalis memoriam.

Historia altera.

Floridi corporis juvenis *Helvetus*, medicinae candidatus, annorum circiter octodecim, morum integritate non minus, quam ingeni dotibus, praestans, *Ticini* in febrem acutam, inflammatoriam, incidit, ex qua per venaesectiones aliquot, et per blandiora ventrem evacuantia remedia perfecte convaluerat; cum sex post menses, nova febris, ut videbatur, ejusdem indolis, eundem, ingluviei quidquam indulgentem, prehenderit. Postquam aeger venam sibi bis adperiri curavisset, ad Institutum clinicum deferri expetii. Hic paucarum dierum spatio febris omnis evanuit; sed ab ea, testiculus sinner intumuit, doluit, ac durior, incaluit;

ex urethra vero humor albescens, sub nulla dysuria, effluxit. Num hoc genus vitii per contagium contraxisset, interrogatus, nunquam sibi ullum cum muliere commercium fuisse, respondit; nec certe nobis, si quid fragilitatis ei accidisset, id nobis reticere voluisset ingenuus in omnibus ac sincerus admodum juvenis. Cataplasma emolliens tumenti testiculo impositum, ac althaeae decoctum pro potu praescriptum fuit. Tres reliquos per dies aeger belle se habuit, ac tumor, minus dolens, mollior, quidquam subsedit. Talem, quarta die, horis matutinis, aegrum conspeximus. Cum vero, ob salutis propriae incommoda, clinicum Institutum, pro nostra consuetudine, vespere adire non possemus; aeger primum inquietus fieri, suumque nostri desiderium medico, vices nostras agenti, et commilitonibus exprimere cepit. Hi vero, cum nihil in rebus aegri mutatum, nec ullum a morbo periculum portendi reputassent, quietum ac animi compositi eum esse amice monuerunt. Aucta, versus noctem, aegri anxietas fuit, respiratio ei suspiriosa, gemebunda, difficilla, accessit, ac adstante clinices chirurgo,

post medium noctem jactabundus ille animam efflavit.

Sectio cadaveris.

Praeter sex circiter sanguinis sinceri, fere coccinei, in dextro thoracis cavo fluentis, uncias, nihil quod a debita partium constitutione recederet, deteximus. Unde crux effusus huc venerit, anxie, sed incassum, inquisivimus; nec enim aut cordis vitium, aut arteriae, aut venae morbosa expansio, nec lacerationis, solutionis cuiuscunquam vasorum aut pulmonis, aut pleurae, aut mediastini, aut diaphragmatis, vestigium repertum fuit.

Utriusque morbi epicrisis.

Quam tenui filo, quem nec subtilissimi digitus anatomici prosequatur, vita hominis pendet! — Quod nervorum, quorum fabrica intima oculi humani aciem fugit, laesiones tam saepe a morte nos lateant: hoc quidem, licet summi ac lethales has effectus secuti sint, non est quod miremur; sed vasorum, quae sanguinem vehunt, ac eundem, cum ex capillaribus esse non queant, laesa, quantitate conspicua plorant; hoc anatomici

mentem pathologi, nisi alia hujusce phœnomeni explicatio subintraret, percellere deberet. *Secretiones interim cruentas*, sicuti serosas lymphaticasve, sub morbis diversis fieri, non primi quidem nos docuimus, sed maxime in quinti *Epitomes libri §§. 584. 641.* tum ratione, tum experientia suffulti, demonstravimus. *Inflammationis ad superficies secernentes effectus frequens est*, sanguinis ex ista, non laesa certe aut rupta, sed integerrima, distillatio; ac centenis peripneumoniae in casibus, hunc sanguinem, vel sero plus minus copioso dilutum, vel lymphae coactae filamentis remistum, vel sincerum, in thoracis cava effusum, absque omni continui laesione, deteximus *). *Pleuræ* quidem, secundum nostras observationes, frequenter, sed et *peritonaeo*, ac ipsius *cerebri velamentis*, communis haec, rorem sanguinolentum, sub certis conditionibus exhalandi, dispositio est. Nec in sola inflammatione hanc ipsam subsistere dicendum est. Quovis sine

*) Simile exemplum *Morgagnius* adducit, ex eo potissimum memorabile, quod, cum pulmo sinister, excepto lobo superiore, ubique inflammatus esset, ex eo tamen lobo sanguis guttatum, ultra libras quatuor destillaverit, etsi ad aspectum sanissimo. De sed. et caus. morb. Epist. XX. art. 17.

impetu sanguis menstruus ab utero aversus, per uberum papillas, aut digitorum per apices periodice ac tacite aberrat; et cruorem per cutis spiracula, non aliter quam ipsum sudorem, aegri hinc inde sudarunt. Quaevis partium, inflammationis etiam expers, irritatio, hos aliquando effectus producit; ac *petechiarum* non minus, quam *sugillationum*, *macularum* aliarum, absque conspicua vasorum solutione, quam injectiones vasorum, et hoc sub statu felices, refutant, copiosa exempla id testantur. Verisimile quidem est, in casu *Vindobonensis* aegroti, à gravi nixu pulmonis aliquam laesione contigisse; hanc vero laesione in continui solutione, aut in vasorum ruptura constitisse; hoc quidem sectio pathologica, si ob possibilem laesione exiguitatem cum certitudine in totum negare non queat; saltem illam, cum majore industria licet quaesitam, non comprobat. Nec etiam probabile videtur, tam paucam sanguinis effusi copiam, majorem hic, quam causa, quae cruento effundi coegerit, effectum habuisse. Verum quidem est, liquidi etiam non multi in pectoris cavum, semper et ubique plenum, celerem ac subitaneam effusionem, non minora saepe, quam

si copiosior ea, sed lentior inundatio fuisset, symptomata provocare; difficile vero est actionem cordis et arteriarum vix non omnem a sanguinis in thoracem effusi uncia una cum dimidia suspendi, quam actionem in majore hydrothorace, nisi cordis aut vasorum hujus majorum a vitio producto, librae seri complures effusae, vix ante mortem adeo suspendunt. Quare sanguinem, hoc in exemplo, ad thoracem collectum, partem quidem malorum sat magnam, — causam vero, quae crux hunc aut secer ni, aut alio modo effundi, induxit, vel maximam et potissimum habuisse; ac probabili ratione magis in nervi, in cordis systema influentis, tensione subitanea, violenta, vel laesione, quam in vasis pulmonalis solutione, quaerendam fuisse putamus.

Quid effusionem sanguinis in *Helveti* juvenis thoracem induxit, arduum certe est dicere. Nunquam saltem hoc nobis communissimis sub testium inflammationibus cuiuscunque demum indolis, obvenit phœnomenon. De *cynanche* quidem *parotidea*, in *Epitomes* libro II. §. 174. monuimus: tumorem parotidum in ea subito dispersum, quod

et *Burserius* *), et nos vidimus, inopinato interdum in viris ad testiculum, ad mammae, vel et ovaria, in mulieribus, cum acuta ab hinc febre, converti. Hoc etiam testium tumore concidente, *Hamiltonius* lethales ad cerebrum metastases contigisse advertit **); nec miraremur sane, tale quid nostro in aegro ad pectus magis, quam ad caput, locum habuisse; sed quamvis ille, testiculi tumorem sibi nullo a contagio accessisse, sancte adfirmaverit; nulla tamen in morbi ejus historia, praegressae cynanchis parotydeae, cœterum in *Italia*, frequentioris fit mentio.

In genere haemorrhagiarum internarum diu non satis exulta doctrina fuit, et quaevis illarum historia eo magis medicorum attentione digna est. De illis crux in cava corporis effusionibus, quas aut vulnera, aut ulcera, aut externae injuriae producunt, vel quae saccos aneurysmatis, aut varicis disruptos sequuntur, et quas ex propria non minus, quam aliena observatione jam alibi

*) Instit. med. pract. Vol. III. p. 275.

**) Legendus super hoc morbo imprimis est R. *Hamilton*, transactions of the Royal Society of Edinburgh, T. II. — et London medical Journal, Vol. XI. 1790. P. II. p. 190. übers. in Samml. ausserl. Abhandl. f. pr. Aerzte. B. XIV. S. 34. sqq.

descripsimus, hic non agitur; nec de profluviis cruentis, quae apud aegros scorbuticos ad interna corporis sat crebro contingunt, et quae vasorum debilissimorum solutionem haud raro pro origine agnoscunt, hic sermo esse potest. Sed illa praeprimis internorum cavorum profluvia cruenta, quae absque his causis succedunt, huc spectant Talem quoque *Morgagnius* notatu dignam, et nostrae fere similem, observationem adducit: viri scilicet ex dysenteria defuncti, in cuius thorace sanguis non paucus, etsi nulla viscerum laesio comparuerit, repertus fuit *). Non multum hoc ab exemplo abludit altera, ejusdem scriptoris summi, observatio, de viro nempe, in cuius cavo thoracis, cruoris quamplurimum repertum fuit, etsi, praeter aortae aneurysma non ruptum, cœterae quoque partes nec minimum laesionis, unde sanguis ille propullulasset, vestigium prodiderint **). Ex *apoplexiis*, ut vocant, *sanguineis*, ut fusius quondam referemus, non paucas ex *secretione* magis *cruenta*, quam e vasorum cerebri *solutione* venisse, opinamur.

*) l. c. Ep. XXXI. art. 14.

**) l. c. Ep. XVII. art. 17.

Dolor inguinis periodicus.

Quartus jam agitur annus, a quo *Andreas Rossi*, adolescens vix pubertatem adeptus, et gracili corporis habitu, sub finem aestatis, vel ineunte autumno a febre prehenditur gastricae indolis. Annis elapsis statim sociabatur, vel et praecedebat dolor eo loci, quo glandulae inguinales insident in latere dextro, assidue quidem, sed interdum minus, alias magis molestus. In ea parte nihil praeter naturam, nisi quod glandulae aliquantisper tumerent, et tactum refugerent. Abdomen molle. Evacuantia ex natura febris indicata, et pro ratione repetita, omnem tum febris, tum etiam doloris curam absolvebant.

Hoc in casu gastrica colluvies, quae febrim incendebat, symptomatico modo dolorem etiam produxisse videbatur.

Mense Junii 1793 ad finem vergente, de novo intermittente febre corripitur, cephalalgia et gastricis symptomatibus stipata; nullus autem dolor ad inguen. Secatur vena, et pluries adhibitis pharmacis sollicitatur alvus. Febris fugatur. Post octo dies recidivam patitur, quae tertianae duplicis typum ob-

servat. Iterum purgatur, et iterum a me-
 dico curante (in civitate autem degebatur stu-
 diorum causa); nulla obtinetur febris remis-
 sio; imo supervenit dolor ad inguen, non as-
 siduus quidem, ut cœteris annis, sed perio-
 dicus: talis, qui ingruente paroxysmo in-
 tensius urgeret, remittente febre remitteret,
 in apyrexia fere cessaret. Domum reduce,
 cum nulla observarem gastrica symptomata,
 summam vero astheniam animadverterem:
 statim ad corticem confugi, ut qui par esset
 non tantum febri debellandæ, sed etiam do-
 lori, febri pedissequo consopienda. Ast fe-
 bris quidem fugata fuit; dolor vero quotidie,
 eadem hora, qua febris invadere solebat,
 fulminis ad instar, aegrum adgrediebatur
 nullis praecedentibus indiciis; per quatuor
 horas circiter saeviebat; sensim inde de-
 crescente, ingruebat somnus, a quo expe-
 rectus se liberum gratulabatur. Talem dolo-
 rem mere nervosum esse, tum illud praeci-
 pue indicabat, quod perfectam servaret pe-
 riodum, tum quoque defectus aliis causae,
 quae accusari potuisset. Nullus nempe ob-
 servabatur cum cœteris partibus consensus;
 nullus tumor in abdomine; appetitus integer,
 cum alvo adperta; nec dubium de adfectio-

ne haemorrhoidali, aut acri quocunque latente fuit. Opium igitur cortici nuptum porrigebatur binis horis ante paroxysmum, tum etiam majore dosi statis intervallis apyrexiae, ut ita dicam, tempore. Neque omissa fuerunt alia antispasmodica; tum etiam vesicans loco dolenti admotum fuit. Omnia autem incassum. Constanter etenim recurrebat morbus; imo ultimis diebus, ingruente paroxysmo, tussis sicca aegrum excruciatbat cum cephalalgia, et pulsus quidquam elevatores facti sunt. In tanta morbi pertinacia tuum, praceptor colendissime, effatum audiendum esse duxi. Suasisti ergo fomentationes frigidas *Schmuckeri*, loco dolenti adplicandas; linimentum volatile cum laudano liquido, ad partem femoris internam illiniendum; corticem vero peruvianum cum valerianae radice nubendum esse. Quodsi haec, dicebas, nullius essent utilitatis; tunc octo hirudines adplicantur inguini, experientia scilicet edoctus, quod aliquando, deficientibus etiam plethorae universalis indiciis, non desit plenitudo localis: qua nisi sublata, opiatorum vis eluditur. Res voto cessit. Cœteris enim irritis, hirudinum ope multus sanguis, isque densus, eductus fuit.

Denuo porrectus est cortex cum opio. Sequens paroxysmus mitior fuit, altera vero die siluit omnis dolor, siletque feliciter.

E p i c r i s i s.

Morbi hujus rebellis descriptio debetur Auditori antehac nostro, *Petro Fogliani, M. D. Mediolanensi*, tunc opidi *Casales-Pusterlengo-rum*, medico stipendiato, felicissimo.

Glandularum inquinalium dignitas, non tanti hucusque, ac quidem merebatur, est habita *). Morborum, quos contagia generant, non solum eorum, qui homini a coitu impuro insidianter, sed febrium adeo vel maxime lethalium, has glandulas esse aut praenuntias, aut malignitatis testes, aut judices, — effectuum etiam morborum diversorum, sedem eas sistere ultimam, non raro, prae illis, pertinacem, — haec quidem medicorum neminem fugiunt. Sed de istis hic quaestio esse non potest; nostram vero attentionem meretur extrema harum glandularum, maxime in sexu virili, adproximante pubertate sensibilitas, qua in pueris, si non

*) Dignitatem earum perspexit *P. J. G. Cabanis*, et egregie exposuit in *Rapports du Physique et du Moral de l'homme*. Paris 1805. T. I. p. 344.

omnibus, saltem in plurimis, vel antequam inguen pube contegitur, tenduntur ac turgent, incalescunt, subrubescunt, attactum recusant, et pueri ingressum fere impediunt. Quo tempore haec ad inguina puerorum contingunt, corporis in longum extensio celerius quam antehac augetur; quae ratio est, cur hi tumores diversis in Germaniae provinciis *die Wachsbeulen, Wachsknoten*, seu nodi, futurum corporis incrementeum denotantes, vocantur *). Plures interdum per menses tumores hi, ab inexpertis interdum pro herniis falso declarati, continuant; febriculam interdum ac morositatem inducunt, nunquam tamen, quod sciamus, aut suppurant, aut contractam duritiem conservant **). Quid sexus sequioris inguina

*) Bubonem crescentium vocat *Sauvages*; alii *fugacem* appellant.

**) Singularis morbus, et qui non nisi ratione loci dolentis, et periodi, quam observat, adduci hic meretur: febris nempe anomala *elephantiam* inducens, seu pedis enormem tumorem. Oritur scilicet hoc malum cum *glandularum inguinalium* tumore inflammatorio; post nycthemerum aut longius tempus succedit tumor eruris inflammatorius, glandulae inguinales subsident. Plures ejusmodi insultus absque typo manifesto sequuntur, post quorum singulos pes magis magisque intumescit ad molem monstrosam. Cortex peruvianus

hac pubescente in aetate patientur, id, ob rei levitatem, illiusque verecundiam, rarius ad medicorum notitiam venit; ac forsitan glandularum mammillarium auctus tunc sensus ac tensio major, eorum, quae in pueris ad inguina contingunt, vices peragunt. Quodsi ex primo semine, a vasis lymphaticis resorpto, apud istos haec pendeant; quam promte hoc vasorum systema novo huic stimulo adsuescat, vel ex eo deduci potest; quod, priusquam prima seminis evacuatio locum habeat, inquinalium tumor glandularum jam diu subsederit.

Ad aegrum, cuius historiam hic tradidimus, quod spectat, rarissimus sane dolor ille inguinis est, quatuor ante annos, sub febre continua comparens, ab ista sanata, dispersus, tertium post annum, occasione febris intermittentis, reversus, atque hanc licet fugata, eadem sub periodo pertinaciter

In praepediendo hoc malo perutilem se ostendit. Hunc insulae *Barbados* morbum describunt, *Town*, on the diseases of the West-Indies. *William Hillary*, observations on the changes of the air, and the concomitant epidemical diseases in the Island of Barbados, p. 304. *Hendy*, a treatise on the glandular disease of Barbados. *J. Rollo*, Remarks on the disease lately described by *Dr. Hendy*.

ac diu continuans. Justum erat sane, hunc dolorem, hora semper eadem tum reverti, tum dissipari solitum, cum cortice, — atque dum iste non sufficeret, cum opio, debellari. Cum interim ea, quae aliquo cum stimulo agerent, nullam hucusque opem tulisse compertum haberetur; non minus nobis aequum visum est, phœnomeni hujus causam simul ex vasorum sanguineorum ad glandulam inguinalem infarctu ac repletione repetere; etsi, cur specialis haec plethora non continuo, sed modo periodice aegrum torqueret, minus esset intellectum. Hirudinum igitur officium, localium ejusmodi affectionum, hoc demum subsidio devictarum exemplis edocti, proficuum fore duximus; ac revera, eodem adhibito auxilio, periodus quidem ipsa non protinus deleta, sed, quo per corticem opiumque tolleretur, praeparata, et combinato localis depletionis, cum internis remediis subsidio, felicissime fugata fuit; ut qui rerum eventus, eorum, quae, quondam de morbis periodicis monuimus *), doctrinam confirmat.

*) Oratio Academica de periodicarum affectionum ordinandis familiis, *Tieini* R. mense Maji 1791 recitata. Continetur haec oratio in *delectus nostri opusculorum medicorum*, Vol. X.

Quo interim morborum periodicorum causis minus communibus plus lucis adfulgeat, sequentem hic observationem subiectimus.

Carus periodicus a vermibus.

Antonius Chizzoli, annorum circiter tredecim, die 20 Maji 1790, hora secunda pomeridiana, nullo praevio horrore, paulatim a somno corripitur, sensim tam profundo, ut sexta hora accedens, nullis eum irritamentis excitare potuerim. Respiratio erat admodum pacata; flaccidis omnino artubus puer jacebat prostratus. Pulsus mollis, expansus erat, facies pallida; maxilla inferior perdifficulter a superiore deduci potuerat. Per omnem noctem hoc in statu permansit aeger; mane vero expergefactus, ferme stupidus erat. ac de lassitudine conquestus est. Lingua flava, et muco obducta sistitur. De ventris torminibus elapsis diebus puerum conquestum esse adstantes adfirmant. Accedente hora pomeridiana secunda, ille iterum hesternum in statum delabitur, et sex dierum spatio hanc morbi periodum constanter observavi. Tertianae, aut perniciosi ge-

neris febres tunc temporis apud nos minime regnabant. Nullum verae febris aderat signum. Facies non erat, qualem in febribus soporosis omnibus vidi, vidi autem et curavi quamplurimas istarum in atmosphaera paludum *Pontinarum* malesana medicinam antehac exercens. Lurida etenim ejusmodi aegrorum facies a medico dignoscitur quidem, sed calamo describi non potest. Hae igitur considerationes dubium mihi omne de febre perniciosa sustulerunt; morbum hunc autem carum periodicum a vermibus nominavi, cuius scilicet exemplum nec ipse videram, nec apud alios Auctores descriptum legisse memini.

Primis tribus morbi diebus incassum adhibita fuerunt et anthelmintica et laxantia, quovis mane, dum evigilaret puer, propinata. Porrigebatur autem pulvis ex radicis Valerianae sylvestris et seminum Santonici $\bar{a}\bar{a}$ Scrupulo uno, ex diagrydii sulphurati granis duodecim, et mercurii dulcis granis sex. Hinc dicto huic pulveri adjunxi unctionem ex olei laurini, tincturae Myrrhae, et Aloes $\bar{a}\bar{a}$ drachmis duabus, pulveris Gummi aloes drachma una *). Et revera, repetita quater

*) Hoc unguentum summiopere commendarunt cl. *Brunnatelli*, Bibliotheca fisico-medica T. VIII. et Dr. *Boy*.

aut quinquies unius diei curriculo hoc unguento, circa umbilicum illito, copiosos aeger ascarides lumbricoides deorsum rejicere cepit, et sex dierum spatio, hospitibus his ad judicationem perfectam expulsis, excusso somno, ad pristinum valetudinis statum revocatus fuit *).

E p i c r i s i s.

Longe absumus certe, quin vermbus potentiam in corpus humanum tribuamus, quam toties causae aliae, negligenter nimis erutae, jure longe majore sibi vindicant. Interim si visceralia haec et nobis domestica animalcula, ex primis viis in nervos longinquos, his amicos, agendo, et vocem puerorum, et visum pro tempore, quod et nos experientia docuit, abolere queunt; cur sensus illa plures sopire, hominemque in somnos prosternere non possint, non perspicimus. Nec periodice hos ab illis effectus produci mirabitur, qui nova ad fercula, periodice oblata, vermes data hora adrepere, suumque cum homine prandium, non satis aequa semper bilance, dividere, considerat.

Fe-

* Observationem hanc, pluresque alias, nobiscum communicavit *Joannes Vinelli*, M. Dr. noster quondam *Auditor egregius.*

Febres periodicas cum caro aut lethargo incedentes, plerumque ad *perniciousas* spectare, certum est; in praesente vero casu *laryvatam* magis *febrem* (sollicite a nobis, in *Epitomes* L. I. §§. 32. 36. 46. distinctam) quam *malignam* subfuisse, adparet. Nullum nempe, morborum licet diversissimorum, symptomata est, quod illa sibi arripere, propriumque sub illo characterem, solius periodi, minorisque ac in *perniciosa* discriminis ratione internoscendum, abscondere non valeat. Cum vero clandestina morborum pericula vel sero nimis patefieri, vel ex signis parum fidis praesagiri, sortem aegrorum, in primo casu, funestam, in altero, ambiguam valde, et quam medicus, ob firmae diagnosis defectum, vix corrigat, esse sinit; hinc, quanti intersit, ut larvam hic febri, *perniciosa* simulanti, mox detrahat, vel sponte elucet. Non minoris certe momenti, matura febris, quam *subcontinuam* vocavit *Tortius*, a vera continua remittente, distinctio est; sed utraque in re, paludosis imprimis in locis, iliacos intra muros peccatur et extra. Sic anno 1789 in conspicuo ducatus *Mantuani* oppido regnavit, sub autumno, febris epidemica, primo aspectu continua; quam per sangu-

nis missiones, cum insigni aegrorum strage
 debellare conatus est medicus. Alter tunc,
 qui hanc averteret, a *Mediolanensi* supremo
 Gubernio missus fuit; qui recte quidem
 cruoris detractionem damnavit; sed mor-
 bum pro febre *biliosa* declarando, emetica et
 alvum evacuantia non pauca, cum eventu
 non minus sinistro, propinavit. Junior tunc,
 sed circa febris tum *perniciosa*, tum *subcon-*
tinuae indolem probe instructus, medicus ac-
 cessit. Hic, tempus autumnale, loci posi-
 tionem paludosam, regnantes in vicinis pa-
 gis circumcirca febres periodicas, morbi epi-
 demici, inter duas accessiones, breves qui-
 dem, sed notabiles, certisque fere horis con-
 cessas aegris inducias, — num quidam ex
 istis, antequam eos febris acuta prehendis-
 set, febre primum periodica, quae in conti-
 nuam transivisset, laboraverint? — num
 inter paucos, qui ex febre epidemica evase-
 rint, fuissent aliqui, in quibus haec inter-
 mittentem in febrem mutata fuisse vide-
 batur? — atque dum utrumque confirmari
 audivisset, num urinae aegrorum plurimo-
 rum sedimentum lateritium deponerent,
 num febris accessiones cum sudore conspi-
 cuo sederent, num exacerbationes sub suo

ingressu vehementius mox urgerent, vel modo sensim sensimque ad acmen pervenirent, inquisivit; his singulis ita se habentibus, febrem ad subcontinuam pertinere conclusit, ac eandem solo cum cortice, ad artis regulas porrecto, in omnibus, quos curandos susceperat, felicissime ac promte fugavit.

Non aliter cum febribus *larvatis*, aut adeo cum *perniciosis*, res constitutae sunt. Ac primo quidem *perniciosaे*, dum caput suum exserunt, vel nullum eae, quo a febre periodica benigna distinguantur, proditrices, phaenomenon offerunt; vel, minus subdolae, terrifica mox, et interdum sub quovis paroxysmo mutata facie comparent; sed donec prima per funera character earum deleterius se prodat ac cives consternat, pauca sunt, quae easdem, larvatis a febribus, nisi forsitan mitioribus, distinguant, symptomata. *Gregales* tamen fieri, vel adeo *epidemicæ* esse amant *perniciosaे*; dum *larvatae* febres, *solitariae* magis, modo hunc vel illum corripiunt. Regionibus illae paludosis, sub cœlo minus rigido, nisi character epidemicus haec suppleat, fideles sunt; *larvatae* vero febres indistinctim ubique nascuntur, nec praegressis

funeribus infames sunt. Extendissimas in
Polonia et *Russiae* Imperio paludes conspexi-
 mus, ac de noxiis harum in *Italia* effluviis
 edocti, ex simili causa similes effectus ti-
 muimus; paucae interim febres intermitte-
 tes illas inter palludes, — *perniciosae* vero
 paucissimae succrescunt. Septentrionali-
 bus nempe magis in oris sol aestivus, etsi
 fervidissimus, ac a nocte breviore modo pa-
 rum interruptus, vix duorum spatio men-
 sium, terrae superficiem ad non magnam
 profunditatem penetrare, nec inferiorem huic
 glaciem solvere consuevit: unde superiores
 huic fundo congelato paludes nec tam in-
 tense putrescere, nec tam infesta mortali-
 bus effluvia spargere queunt. Atqui si haec,
 febrium *perniciosarum*, nisi epidemicō magis,
 quam palludoso influxu natarum, proventum
 fere impediant; non tamen *larvatas* hinc inde
 subnasci vetant. Manet igitur, secundo,
 idem de his febribus *larvatis*, quam quod de
subcontinuis retulimus, judicium: ac aeris,
 loci, aquarum natura, anni tempus, mor-
 borum simul regnantium indoles, aut etiam
 absentia, in genere vero, alia, de morbo
 epidemicō in ducatu *Mantuano* regnante capta
indicia, medicum rectiora docebunt. In

puero, cuius historiam hic tradidimus, interea ac nullae intermittentes febres, vel benignae, vel perniciosa, regnarent, ventris praecesserant tormina, hac in hominis aetate frequenter a vermis produci solita. Etsi vero *stupiditas* cum lassitudine post absolutum paroxysmum reliqua, *Werlhofio* quondam, favente scilicet epidemia, justum *perniciosa* febris metum incusserit; plures tamen, suspecti licet, paroxysmi ab aegro absque viatae dispendio transacti, maxime vero coloris illius luridi, ac strangulatis vix non hominibus in facie fere proprii, notique medico ordinario, in perniciosarum cura non parum certo versato, habitus his febribus proprii absentia, diagnosin morbi, aliis difficilem, minus arduam reddere, debitamque methodum indicare valuerunt.

Febris intermittens urticaria.

Demetrius Rostislavov, Academiae medico-chirurgicae *Petropolitanae* alumnus, medicinae ac chirurgiae candidatus, aetatis 23 annorum, constitutionis debilis, parum bene nutritus, vitam agens sedentariam, ac refrigerio frequenter expositus, praeter exan-

themata aetati juvenili propria, tribus abhinc annis alterum passus est, per squamas saepe resolutum. Ob hoc ipsum, per multos menses, et emetica sumsit, et alvum purgantia repetito adhibuit, viresque non multas sibi magis infregit. Mense Julii 1805 morbum, ei, quem nunc describemus, similem per duas hebdomadas passus est.

Die scilicet 3^a mensis Januarii 1806, calere incepit, ac deinde, ob nimium sudorem languidus, in lipothymiam incidit; a qua tamen, frigido liberoque cœlo expositus, mox iterum restitutus fuit.

*Die 2^a mensis Februarii, circa horam septimam matutinam, vix a somno, per omnem noctem minus quieto, excitatus, horrorem ac frigus persentiens, lectulo se denuo commisit; mox vero de capitis dolore ac nausea conquestus est. Sequitur haec, vomitus ter quaterve repetitus, nil praeter mucum tenuem, aquosum rejiciens. Post vomitum, calor ardens illico per totum corpus expansus fuit, a quo, capitis dolor, pristino longe vehementior, ventris tormenta, sitis maxima, secuta sunt. Frigidam, vix hau-
stam, aeger cum summo rejecit impetu. Sub hoc rerum statu tandem proruperunt in-*

cute papulae, primum quidem distinctae, paulo post tamen confluentes illis similes, quas cutis ab urticis caesa, pati consuevit. Simulac vero hae papulae per cutem omnes effloruerant, dolores undique atrociter fuerunt aducti. Insignis abhinc anxietas, jactatio, inquietudo, ac morituri quasi hominis pallor et debilitas insecura sunt; atque hoc sub statu, miser juvenis in clinicum Institutum *Petropolitanum* delatus fuit. In lecto tepido aliquamdiu detentus, pruritum aeger atrocem, sub qua cutem sibi cum unguibus vix non lacerabat, persensit.

Mox balneo tepido commissus fuit aeger. Praeterea infusum Sambuci, cum aceti ammoniacalis uncia una, et spiritus nitri dulcis drachma una, omni semihorio ad cynamum dimidium sumendum, praescriptum, simulque clyster ex infuso chamomillae, cum oleo lini, injectus fuit.

Post horas aliquot, multum sese sublevatum sensit aeger; et ad vesperas, maxime vero die subsequente, quam optime se habuit.

Non diu interim res ita se habuit: cum enim hic juvenis et sibi, et sociis, a morbo restitutus videretur; die 4^a Februarii, prima post medium noctem hora, de novo invasus

suit. In hoc tamen hodiernus paroxysmus a pristino differebat: quod frigus deesset, ac cephalalgia, quod antehac non contigit, antecederet; quod nullus ab exanthemate pruritus esset; quod istud minus hodie confluenteret, nec insulas, quas heri, formaret. Quamvis interim mitiora haec videri potuerint; major tamen aegri debilitas insecura est, pulsus exiles celeresque, capitis dolor admodum molestus, anxietas fere continua fuerunt. Praeterea singultus per plures horas, etsi non violens, aegrum vexabat; somnus nullus, sed perpetua corporis jactatio fuit. Urinae rubrae et crassae, majore tamen copia, quam sub prima invasione, sedunt; alvus vero nulla est.

Hac sub rerum positione, infusum radicis angelicae cum spiritu nitri dulci, quasi hora, dimidium ad cyathum, intermedio vero tempore granum camphorae propinuantur, clysma injicitur, ac tepidum in balneum aeger iterum demittitur.

Die 6^a, ante medianam noctem, nova de novo suboritur accessio, brevior tamen pristina, et mitior. Exanthema minore copia superiores modo extremitates obsedit, mox vero disparuit. Sudor minus abundans a

paroxysmo secutus, alvus vero aperta est. Major interim oris amarities, simulque evidenter aegri debilitas comparent. Inquietudo continua inter cœtera symptomata eminet, omne inque somnum prorsus excludit.

Periodo morbi evidentius nunc cognita, Corticis chiae flavae, in vino rubro mace-ratae, grana viginti quavis hora porrecta fuerunt.

Die 7^a. Duplex hodie chiae dosis omni hora ingeritur. Sequitur nox tranquilla, nec ullus sub ea paroxysmus aegrum invasit.

Die 8^a. Cum res optime incederet, corticis modo decoctum cum spiritu nitri dulci, quovis bihorio porrigitur. Post paucas dies, amarorum sub usu, sanitas perfecta aegro restituta fuit *).

Febris intermittens urticaria.

Joannes Volk, faber ferrarius 20 annorum, tres ante annos gravi morbo per decem heb-domadas detentus, ab eo sanus vixit. *Die* vero 22^a Aprilis 1804, post validiora corpo-

*) Historiam hujus aegri conscripsit *Gregorius Epidin-
sky*, Academiae Petropolitanae medico - chirurgicae
alumnus.

ris exercitia, vino quidquam indulxit. Ad noctem ille a calore prehenditur eamque insomnem transigit. Ad horas matutinas sudor aliquis subsequitur.

Die 23^a melius se habens aeger, lectum deserit et cum sociis cursu certavit. Calefacto abhinc corpore atque defatigatus, cœrevisiam ingurgitat.

Die 24^a. Scena prima de nocte repetitur. Cephalaea fortis, tussis frequentior, dyspnœa, dolor pectoris, calor, somnum arcent. Sudor subsequens morbum sublevavit.

Sic omni tertia die febris rediit usque ad 27^{am} Aprilis; sub cuius die paroxymo, medio sub calore nocturno, exanthema prodiit, urticariae, secundum aegri descriptionem, simile, sed quod hac ipsa die nosocomium adiverit, e cute dispersum.

Die 28^a Aprilis 1804, aeger in clinicum Institutum *Vindobonense* suscipitur. Compagm corporis ille offert sat firmam. Calor moderatus, pulsus debiles, non admodum frequentes sunt. Dolet caput, ardent oculi, sitis magna est; tussis frequens et sicca, respiratio, propter dolorem punctorium in latere sinistro difficilis, decubitus hanc in

partem impediens. Urticariae exanthema sub quavis accessione comparuisse refertur.

Decoctum radicis althaeae stipitumque dulcamarae, cum roob sambuci praescribitur.

Die 29^a. De nocte fere nihil aeger dormivit. Pruritus per omnem corporis superficiem, tussis, calor febrilis hominem vexarunt. Exanthema urticariae nunc a nobis quoque in plena efflorescentia conspicitur. Sputa sunt mucosa, tenacia. Dolor pectoris punctorius disparuit. Acetum ammoniacale decocto supra dicto superadditum fuit.

Post largum sudorem, vespere, exanthema disparuit; perstabat tamen febris, sitis erat magna, tussis multa.

Die 30^a. Nocte bene dormivit, non multum tussit, sputa mucosa, tenacia, cum notabili ad pectus levamine rejecit; alvum, et urinas sat multas excrevit. Ad vesperas apyrexia notabili gavisus est aeger.

Die 1^a Maii. Nox fere insomnis fuit, calor magnus, febris valida accesserunt, sub quibus urticariae denuo exanthema prodavit. Sputa sunt tenacia. Praescribuntur sequentia:

R. Infus. fl. sambuc. unc. vij.

Tartari emet. gr. j.

Spirit. Minderer.

Syrup. simpl. ā unc.

Capiat omni bihorio unciam.

Hora prima pomeridiana, sub sudore,
exanthema iterum disparuit.

Die 2^a Maji. Febris nulla. Tartarus
emeticus in medicina omittitur.

Die 3^a. Hora septima matutina frigus
aegrum concutiens accessit, ad duas horas
extensem. Sequitur hoc calor trium hora-
rum. Sudor successit, quem plena apyrexia
excepit.

Decoctum corticis peruviani saturatum,
cum liquore anodynō minerali praescribitur.
Ob oculi dextri inflammationem *), deco-
ctum emolliens pro fomento huic parti im-
ponitur.

Die 4^a nulla febris.

Die 5^a. Hora septima matutina, haec
iterum comparuit. Ob dolorem oculorum ac
ruborem, nuchae vesicans impositum et se-
quens collyrium praescriptum fuit.

*) Ex dispersa e cute urticaria, ophthalmiam adnotat
Koch, Pr. de febre urticata. Lipsiae 1792. p. 14.

¶. Aquae rosar. unc. vj.

Mercurii sublim. corros. albi, granum unum.

Mucilag. gum. arab. Dr. j.

Tincturae anodynæ Dr. β.

Ter in die oculis immittantur guttulae collyrii aliquot.

Vespere, febris nulla, inflammatio oculi imminuta.

Die 26^a. Apyrexia adest perfecta, sub qua, cortex chинаe flavae ad drachmam diuidiam omni bihorio in pulvere porrectus fuit.

Die 7^a. Febris nulla accessit. Ophthalmia leviora offert symptomata.

Die 8^a. Ob febrem fugatam, infusum amarum porrectum fuit. Ophthalmia sensim sensimque disparuit *).

Febris intermittens urticaria.

Joannes Michelieux, textor sericarius, aetatis 29 annorum, compagis corporis medio-criter firmae, superatis infantiae morbis, bona semper gavisus est valetudine; donec

*). Medicus aegro adsistens fuit et historiam ejus conscripsit *Paulus Macerata*, Medicinae Candidatus,

militiae in *Italia* addictus, febrem intermittentem contraxerit, sub cuius recursu sanguinem e pulmonibus rejectit. Fugata per corticem febre, tum haec incommoda, tum aliqua ex commercio cum fœminis impuro contracta, siluerunt.

Vindobonae, artem sericariam exercens, vir hic juvenis *die 15^a* Junii 1804 a febris intermittentis symptomatibus corripitur, per sudorem terminatis.

Die 16^a Junii febris nulla.

Die 17^a eadem, qua nudius tertius, hora, febris aegrum corripit, accedentibus vomitu, doloribus colicis, et exanthemate urticariae cum pruritu. Solvitur paroxysmus cum sudore.

Die 18^a. Febris mane nulla. Alvis hodie ab accersito medico, exhibito purgante, trigesies evacuata fuit. Eadem adhuc die, post taliā, febrilis paroxysmus validissimus, ac per integrum noctem continuans, secutus est. Hac etiam sub accessione, post sudorem, pruriens urticariae exanthema aegrotum molestum fuit.

Die 20^a, apyrexia huic conceditur.

Die 21^a. Rediit quidem, sed mitior paroxysmus fuit; nec enim aut vomitus, auf

dolores colici, aut exanthema redierunt; sed levis sudor accessioni finem imposuit. Ad Institutum clinicum *Vindobonense* aeger se contulit. Caput hic liberum esse, sitim vigerere, abdomen, molle quidem, in regione epigastrica tamen tumere, comparuit.

Ob febrem periodicam satis manifestam, corticis peruviani flavi drachma integra quo-vis trihorio porrecta fuit.

Die 22^a Febris nulla. Eadem medicina porrigitur.

Die 23^a consueta febris non accessit.

Die 24^a. Optime dormivit, nec de re ulla conqueritur aeger.

Se deposito cortice, infusum amaricans praescribitur. Post paucas dies aeger sanatus dimittitur *).

E p i c r i s i s.

Cum in *Epitomes* libro III. §. 308. de urticariae divisionibus ageremus, monuimus breviter: „nos quidem hoc in morbo aut nullam febrem, aut certe benignam, leniterque inflammatoriam observasse; sed aliorum, de morbo satis maligno, vel cum remittente,

*) Historiam morbi hujus, idem, qui priorem, conscripsit medicus.

ac *intermittente febre conjuncto*, observatio-
nes non deesse.“ Huc nempe *Sauvagesii* ter-
tianam urticatam, qualem *Pianchon* *) de-
scripsit, — huc *Esseram*, quam ad urticariam
revocavimus, et quam *Cleghorn*, in modum
tertianae febris in Insula *Minorca* incedere
monuit **, retulimus; atque huc denique
Kochii, larvatas sibi febres intermittentes
cum urticaria occurrisse, assertionem ***),
referimus. Ab eo vero tempore, quo haec
scripsimus, innumeras inter urticarias, mo-
do *tria intermittentis urticariae exempla* nobis ip-
sis obvenerunt; quae igitur ad morbi, sub
facie tam varia comparentis, meliorem cogni-
tionem communicare hic voluimus.

Ob eandem rationem raram, viri clari,
in Academia *Pisana* nunc medicinae practi-
cae et Clinices Professoris, *Aloysii Morelli*,
nostri antehac Auditoris, observationem de
urticaria cum typho et cum gangraena ince-
dente, qualem nobis jam multos ante annos
communicare voluit, hic simul subjungimus.

Urti-

*) *Journal de Médecine Juillet 1765.* p. 75.

**) *Observations on the epidemical diseases in Minorca.*
London 1768.

***) *Pr. de febre urticata.* Lipsiae 1792. p. 14.

Urticaria typhodes, cum sphacelo.

Mulier quadragesimum primum aetatis annum emensa, quae decimo quarto vitae anno menstruis subjecta, vigesimo autem viro nupta fuit, solitis in juventute exanthematibus absolutis, exceptis quibusdam febribus tertianis, semper perfecta valetudine gavisa est, donec anno 1789, nosocomio *Bononiensi* suscepta, febris, quam rheumatico gastricam vocabant, symptomata exhibuerit. Alvus aegrae primum cum sale amaro, et cum rhabarbari radice evacuata, tres vero posthinc venaesectiones institutae fuerunt. Quinta jam morbi die, typhi symptomata comparebant. Sextam inter et septimam febris diem, noctis tempore, haec mulier, non adeo de pruritu, quam de sensu, ac si quavis universae cutis plaga multis pungeretur aciculis, conquesta est Altero die, brachia aegrae undique a maculis rubris, inordinatis obtecta fuerunt. Qui cudem hominis cum urticis caesam unquam conspexerat, ille circa indolem hujus exanthematis dubius haerere non potuit. Multae conspiciebantur areae albae, seu cutis colorem naturalem referentes; aliquae ex

maculis rubro colore, quasi per epidermidem transparente instructae erant. Major harum numerus et brachia, et dorsum ob-sedit; ad crura paucissimae comparebant. Nullum morbi ab hoc exanthemate decre-mentum fuit, sed intenso febris ordine con-tinuavit. Clinices hinc antistes febris pu-trido-malignae urticariae morbo imposuit. Per omnem morbi diem septimam, exanthe-ma in cutis superficie sic floruit; octava ve-ro fere in integrum ex ea disparuit, paucis maculis exceptis, quae ad pisi magnitudi-nem assurgebant, ad basin intense rubrae, versus apicem vero subalbidae. Nona morbi die fortis dolor extremitates inferiores corri-puit cum rubore magis pallido. Die decima, color crurum, quae dolor deseruerat, livi-descebat. Cum omni ratione perspicacissi-mus Professor gangraenam vicinam praevi-dit, atque camphoram hinc, cum tinctura myrrhae, aquae calcis ope praeparata, et corticis peruviani decocto praescripsit. Die undecima, singula gangraena symptomata in cruribus offerebantur. Lintea tunc, de-cocto Corticis saturato, et Tinctura aloes cum aqua calcis praeparata, probe imbuta locis gangraenosis superimposita fuerunt.

Omnis haecce cura fuit inutilis: sphacelus nempe his locis superaccessit, et cutis per frusta secessit. Chirurgo nosocomii primo in consilium accersito, pulvis corticis chiae locis sphacelosis inspersus, in fomentationibus vero et interno corticis usu continuatum fuit. His interim non obstantibus, aegra, morbi die decima quarta, e vivis erepta, ejusdem vero cadaver, ob contagii formidinem, non dissecatum fuit.

E p i c r i s i s.

Ex relata observatione apparet, corrigendum esse locum *Epitomes* L. III. §. 311. p. 112. quo „facile nobis videri dicebamus, exempla, quae de *urticariae malignitate* referuntur, ad aliam longe aegritudinem fuisse referenda.“ Quamvis nempe casus, quem *Lachausse* sub febris *urticariae* nomine descripsit, et in quo, dum sub pessimis ille symptomatibus incederet, exanthematis vesicae virulentam habuisse indolem, ac pus, contagii non expers, continuisse dicuntur *), ad *pemphygium* magis *acutum*, quam ad *urticariam* referendus esse videatur; verae tamen specimen urticariae, cum summo vitae peri-

*) *Journal de Médecine*, Année 1772. T. 37 p. 28.

culo incidentis, descriptionem tradidit *Monsay* *); et apud *Kochium*, pleuritidem subito sublatam, febrisque nervosae symptomata, simulac papulae urticatae in cute efflorescerent, cito pacata fuisse legimus **). Ab urticaria, cerebri hydrops describitur ***), et ab impedita urticariae ad cutem efflorescentia, exitiosam metastasin ad encephalon subito factam esse retulit *Cleghorn* †). In casu a *Morelli* descripto, et a nobis hic exposito, febris, qua mulier laborabat, pro rheumatico-gastrica declarata, eademque primum debilitante admodum cum methodo tractata fuit; sed typhum vel jam primis morbi diebus hac sub febre latuisse, vel eundem dicta sub methodo citius evolutum fuisse eo magis suspicamur: quod non rarum sit, hunc etiam morbum, in suis principiis, et dolores quasi rheumaticos, et falsam pulsuum plenitudinem, et gastrica symptomata fingere. Fatemur interim, quod, dum ty-

*) Medical transactions published by the college of physicians in London. Vol. I. p. 173.

**) *Koch*, Pr. de febre urticata. Lipsiae 1792. p. 14.

***) Sammlung auserl. Abhandl. für pract. Aerzte. IX. B. S. 368.

†) On the epidemical diseases in Minorca. London 1768. p. 240.

phum petechiae, echymoses, miliaria, parotides, pemphigus acutus, erysipelata, frequenter comitantur; *urticariam* hos inter typhi satellites nunquam nobis esse oblatam, atque hinc primarium magis morbum, quam typhi symptoma hoc in casu exhibuisse, nobis videri. *Rheuma* interim, quod per quatuor jam menses dolorem in brachio continuum excitaverat, comparente ad cutem urticaria, subito dissipatum fuisse, in feudis *Italiae Imperialibus* A. 1792 observavimus.

Sed de quo, in Epitome nostra, nullis nempe tunc propriae observationis exemplis muniti, mentionem nullam injecimus, *chronicus* est urticariae *habitus*. Jam *Heberdenius* interim retulit, se vidisse aegros, qui per plures menses urticaria laboraverint; alios autem, qui per duos annos nonnisi brevi temporis spatio hoc a morbo liberi vixerint; alios demum, qui per septem, vel decem annos hoc de morbo essent conquesti *). Verisimile quidem est, non paucos homines, frequentius in vita, vel et plures per annos, hoc a morbo vexatos, ideo, quod levioris eum momenti esse credant, nullam apud

*) Arzneykundige Abhandlungen der Aerzte zu London.

medicos ejusdem mentionem injicere; miramur interim, a tempore, quo *Italianam* liquimus, non modo plura, sed summopere incommoda aegris, *chronicae urticariae* nobis exempla occurrisse, quorum numerus septentrionalibus, quas serius petiimus, in oris longe fuit adactus. Inutile foret, diurni adeo morbi historias hic vel multas, vel integras referri; hinc paucas modo ac breves aliquorum, quos ipsi conspeximus, narrationes, non historico modo, sed prope quotidiano sermone exponemus.

Urticaria habitualis menstrua.

Habitualem ac menstruam vidimus *Esseram*, die 26^a Maji 1796, in fœmina, quae, ob colicam saturninam, in clinicum *Vindobonense* Institutum suscepta fuit. Per septem jam annos haec mulier, semper per octo fere dies, antequam menstrua ipsi prorumperent, ad dorsum, brachia, pectus, hanc esseram est passa; atque tunc etiam, cum absolutis jam menstruis haec aegra nos adivit, morbum illum in cute adhuc perstantem observavimus *).

*) Eandem mulierem bis urticaria, menstruorum ante tempora, laborasse, observavit *Samuel Vogel*, Handbuch der Arzneywissenschaft, 3. B. S. 275.

Urticaria habitualis altera.

Nobilissima virgo *Vindobonensis*, cum in tenera adhuc aetate versaretur, continuum fere in cute pruritum persensit, ita ut a scalptu cum unguibus, quibuscum superficiem corporis vix non dilaniabat, arceri satis non potuerit. Dimidio anno prius ac menstrua prodierint, prodiit huic virginis urticaria, imprimis ad crura, ut maculas palmae magnitudinis hoc exanthema formaret, gressusque frequenter impediret. Continuarunt haec, nec ulli medicamento cesserunt, donec et venam sibi adperiri curasset, ac tandem menstrua secretio sibi viam parasset. Post haec satis bene se habuit puella; sed jam iterum, cum menstrua essent parciora, et chloroseos subintrassent symptomata, per duos jam annos, saepissime comparet urticaria, quam oculis nostris A. 1797 subjecit, tum ad brachia coeterumque ad corpus, tum imprimis ad crura. Valde elevatae sunt hae maculae, sub frigore potissime erumpunt, ac pruritum intolerabilem virginis producunt. Notabile hoc in exemplo est, *pruritum* insignem in tenera aetate per plures annos, *absque maculis*, — tandem vero et istas, quin interim pruritus cessasset, accessisse.

Urticaria habitualis ex terrore recidiva.

Nobilis matrona *Vindobonensis*, 45 circiter annorum, pluribus retro ab annis urticaria per omnem corporis superficiem dispersa, continuo laboraverat. Cum anno 1802 per plures menses haec mulier decocto radicis sarsaparillae, ac pilulis, a nobis, ex gummi guajaco, extracto dulcamarae, camphora et et aethiope antimoniali, praescriptis, uteretur: exanthema hoc in integrum disparuit. Dum interim, duos circiter post menses, balnea in ducatu Salisburgensi *Gastrinensis* frequentasset haec aegra, et sub itinere, ex lapsu rhoedae, in vitae periculum incidisset: eo ipso momento exanthema urticariae, maijore ac unquam alias copia, ad omnem cūtem prorupit; ab illo vero tempore hanc more solito infestare continuat.

Urticaria habitualis coeli rigidioris soboles.

Insignis eorum, quos urticaria per annos sibi subjugat, in *Russia* est numerus, in *Italia* fere nullus. Alienigenae, qui cœlo magis benigno adsueti, suam hoc in imperio sedem figunt, huic morbo cutaneo præ aliis subjecti vivunt. Sic nos ipsi, dum anno

1804, mense Octobris, senescentis, *Vilnam* in *Lituania* petiimus, primis mox mensibus urticariam experti sumus, per quatuor annos, partim hac in civitate, partim *Petropoli* transactos, extensam. Nec adeo in *Austriam*, dein vero in patriam reduces, haec nos cutis affectio, etsi hic longe mitior, deseruit. Sine febre constanter hic morbus incessit, saepe ipsam ad faciem, ad frontem, brevi tamen tempore hic disparitus, effloruit. Saepe profundum, quasi culicis, ictum sub cute persensimus; a frictione vero istius, urticariae mox papulae prodierunt. Scalptus in una parte locus, ut pars vicina scalpetur, coegit. Manus, matutinas ad horas cum tepida lavantes, ad illas, praevio ustionis sensu, mox papulas assurgere conspeximus. Nulla tamen nobis ex disperso e cute exanthemate anxietas successit.

Majore cum furore urticaria faeminae juvenis, familiae nostrae addictae, et cum ea *Russiam* advectae, cutem longe sensibiliorem vexavit. Corpus nempe illa universum, auro frigidae vel quidquam expositum, per quatuor annos, non maculis modo latissimis, ac igneis, sed simul hinc inde, ad crura potissime, tuberibus, ovi gallinacei magnitu-

dinem aequantibus, occupavit; ac per horas, ob intolerabilem pruritum, ardorem, somnum omnem, donec omne sub lecti calore exanthema evanesceret, exclusit. Nec trienni fere spatio, quo aegra meridionales magis ad plagas reversa est, cutis transitória haec labes, etsi multum infracta, a suo dejicitur imperio; sed leviore adeo frigidiusculae aurae favente adflatu, pristina mox sede cutanea, indomabilis hucusque potitur.

Urticaria tuberosa.

Etiamsi forma urticariae exterior, vel uno eodemque in aegro, nunc haec, nunc illa esse soleat; ita ut in pueri septennis artubus, praecipue inferioribus, communem ea nobis aspectum lacerum offerret, in facie fidelem *esserae* imaginem exhibuerit, non inutilis tamen varietatum hujus morbi, ne pro alterius familiae prole declararentur, descriptio est. Quod de *urticaria tuberosa* exemplum in *Epitomes nostrae L. III. §. 309. p. 108. sq.* descripsimus, ac M. D. *Paulo Eusebio M. Bendoni*, medico *Mantuano*, ac nostro quondam Auditori egregio debemus; illud, anno 1794, in juvene rustico, 25 annorum, variis

tamen symptomatibus exceptis, observavimus.
 Hic nempe juvenis, sub hieme anni 1793,
 absque causa sibi cognita, tumoribus cuta-
 neis, rubris, quamplurimum elevatis ac pru-
 rientibus, per diem unum aut alterum obte-
 ctus fuit. Disparebant hi tumores, sine qua-
 vis tamen anxietate, sub calore non magis,
 quam sub frigore, unius vel alterius diei
 spatio, et quin ulla cuticulae separatio con-
 tingeret. Mox vero alii aliis in partibus
 comparebant, ubi vino indulgeret aeger,
 majore cum pruritu erupturi. Interdum hic
 juvenis, hoc a malo, per quindecim dies
 immunis incedit; sed iterum efflorescit hoc
 magnum exanthema vel ad artus, vel ad
 truncum, vel ad faciem, quae ultimae sum-
 mopere abhinc tument, ut oculos fere clau-
 dant. Antequam vero hi tumores compa-
 reant, somnolentus fit aeger, quae tandem
 somnolentia, a facta exanthematis explosio-
 ne, protinus disparet. Venam aeger sibi abs-
 que emolumento adperiri curavit. Decocto,
 cuius nos compositionem ignoramus, absque
 fructu adhibuit. Quo tempore, ad nos con-
 sulendos, iter suscepserat aeger, ad pedes
 hi tumores praemagni, incessum praepedien-

tes, pernionibus adspectu non dissimiles, ex-surrexerant.

Plerumque certe urticaria in frigida atmosphaera efflorescit, in calida fere, aut in totum evanescit. Jam *Carolus interim Musitanus de essa* dixit: „solent aliquando haec tubercula, ut multoties observavimus, dum aegri in loco calido sunt, emergere, et dum frigido se exponunt aeri, evanescere; quandoque contra, in frigido emergere, et in calido evanescere *). Nostro tamen in juvenci tumores tam sub frigore, quam sub calore, aequali ratione, disparebant; nec est cur vel in illo, vel in isto, signum morbi characteristicum quaeras. Fixius etiam hi tumores, quod communis urticaria non facit, per diem unum alterumve in cute persistebant. Promtior interim eorum ex hac dispersio, reditus frequentior ac subitaneus, pruritus insignis, praecedens illos somnolentia, ac istius ab efflorescente exanthemate cessatio, *urticariae* hunc morbum familiae cum jure subordinant.

*) Opp. omn. T. I. p. 45.

Gangraena pedum a frigore.

Josephus Gyurkovits, equorum in saltu instruendorum stabularius, 56 annorum, die 13^a mensis Novembris 1798, tempestate frigida et humida, iter pedestre instituit, cui absolvendo tres horas vix impendit. Vestibus interim in totum madefactis, ac cœli injuria saeviente, tantam vir hic lassitudinem, ut media in via fere concideret, persensit; maxime vero *titillationis ardorisque* ad plantas pedum sensus, gressus impediebant. Curru hoc rerum sub statu susceptus, diversorum tandem accessit, ante cujus limina pœnitentia virium jactura sustinere sese ac descendere impos, in humum concidit, pectus leviter, inguen vero ad lapidem tanto cum impetu, ut statim hernia prodiret, allidit. Defertur ad hypocaustum probe calefactum, atque hic, aliquo virium sub reditu, mox dolorem utroque in pede magnum atque pulsantem percipit: quo sensim ad summum gradum projecto, dum calceos aeger ac tibialia deponeret, singulos pedum digitos sibi livescere, cœteras vero illorum partes ad malleolos usque rubere atque tumere observat. Ad noctem, in pedis sinistri digitis bullae ele-

vantur, quae die subsequente vel sponte di-
 ruptae, serum cruentum effundunt. Huic
 malo, praeter unguentum de cerussa, nihil
 auxilii adponitur, sed suae sorti commissus
 aeger, viribus aliquantulum restitutis, nec
 a frigore, nec a calore correptus, ad Vien-
 nense nosocomium defertur: ex quo, tam
 ob morbi, hac tempestate, his in terris non
 tam rigida, raritatem, quam ob magnam in-
 structionis publicae occasionem, etsi hic ca-
 sus ad chirurgiam magis spectare videretur,
 ad clinicum Institutum *die 19^a* Novembris ad
 vesperas susceptus fuit, atque mox sequen-
 tia nobis phœnomena obtulit: praeter auris
 dextrae, in quam aeger ceciderat, susurrum,
 atque herniam scrotalem facili satis opera
 reponendam, atque illico bracherio muni-
 tam, nullum morbi symptomā comparet;
 appetitus adeo viget, sitis nulla, calor cor-
 poris sano similis est. Pulsus interim cen-
 tum et septem ictus in primo minuto offert;
 paucam, vir structurae robustae, debilita-
 tem accusat. Instituto extremitatum infe-
 riorum examine, pars extrema pedis utrius-
 que ad usque malleolos, quidquam rubescit
 ac œdemate turget. Digi^ti pedis sinistri
 omnes, in totum, ex atro livent, sensu et

calore naturali spoliati, mollesque. In pollicis parte inferiore, bulla, humore livido, transparente repleta, turget; ad rudiorem attactum, vel ad motum harum partium, dolor magnus exsurgit; omnis calor istarum naturalis disparuit. Per ungues, partes subiacentes lividae transparent. Dextri pedis digitii tres ultimi eodem modo se habent; pollex tamen hic prorsus sanus conspicitur, ac vicinus huic digitus in dorso minus aliis livescit. In pedis hujus dorso supra ultimos duos digitos ad dimidium pollicem etiam extensa livedo est. Plantae pedum, aspectum sanum conservant; ab attactu tamen in vicinia digitorum, valde dolent; absque illo vero modo parum affectae sunt.

Cum pulsuum frequentia, de parte, quam systema universum, a frigore ac sequente hoc artificiali calore, non parum affectum, hoc de malo locali sibi assumeret, testarentur; cum nulla hucusque limitum gangraenae positorum vestigia se proderent; moschi optimi grana octo, opii grana duo, sacchari albi drachmas duas, in sex doses divisa, praescripsimus, atque singulo bihorio partem unam horum pulverum porrexiimus. Praeterea, aetheris sulphurici drachmam

unam cum aquae menthae unciis sex commiscentes, istorum unciam unam post pulveres propinavimus. Ad partem adfectam, fomentatio, ex herbis aromaticis vino infusis, parata, tepide fuit adposita.

Die 20^a. Nox quieta fuit; tumor œdematosus minor est hodie; dolor vero ardens in digitis perstat. Pulsus hesternis frequenteres sunt; calor major, cutis sicca est. Praeter pulveres praescriptos, decoctum corticis cum aethere sulphurico propinatum fuit. Partes gangraenosae cum infuso aromatico atque corticis decocto foventur. Tussis hodie se prodit.

Die 21^a. Nox satis placida, tussis rarior, alvus bis mota fuit. Abdomen tensum. Ardoris sensus in pedibus minor est, et gangraenae limites poni, suppurationis in circumferentia illius vestigia comprobant. Pulsus elevatores, frequentes sunt, calor moderatus, et cutis submadida est. Pulveres, moscho quidquam aucto, omni trihorio porriguntur. Decocto corticis pro usu interno, et pulvis istius ad drachmas tres superadditur.

Vespere, tussis nulla, alvus bis mota fuit; abdomen non tensum, calor non tantus

tus est, pulsus minus magisque elevati sunt.
Pes sinister magis tumet, rubet ac dolet.
Cortex in fomentis suspenditur.

Die 22^a. Ob dolores pedum, nox minus
quieta fuit. Aliquis nunc capitis dolor. Li-
mites gangraenosae evidentes, inflam-
matione et suppuratione distincti sunt.

Die 13^a. Nox fuit quietior. Dolores in
pedibus non tanti sunt. Tumor œdemato-
sus pedis sinistri ad malleolos extenditur
cum superficiali inflammatione.

Die 24^a. Nocte aeger copiose sudavit,
et sudor hucusque continuat. Dolores in
pede imminuti, pulsus minus frequentes,
magis vero elevati sunt. Ob sudores profu-
sos, suspenduntur pulveres.

Die 25^a. Nox fuit placida, sudor nullus,
calor et pulsus vix non naturales. Pes dex-
ter minus tumet, gangraena non proserpit;
epidermis secedens separationem inchoat.
Dolores non tanti sunt. In pede sinistro epi-
dermis necdum separatur; duo vero digiti,
pollici vicini, reviviscere videntur.

Die 27^a. Eodem pede res continuant,
separatio absolvitur; foetor notabilis se pro-
dit. Cortex nunc, ut vocant, in substantia
porrigitur.

Die 30^a. Nocte multum sudavit aeger. Partes gangraenosae magis separantur; tumor pedum paucus est. Ultimi phalanges digitorum in dextro pede, excepto pollice, nigerrimi sunt. In sinistro pede, trium ultimorum digitorum phalanges extremae insensiles observantur.

Die 3^a Decembris. Sudor per biduum continuavit, hac nocte vero nullus fuit. Suppuratio in pede sinistro larga, in dextro vero minor est. Adplicatur nunc partibus his unguentum digestivum cum camphora, ac fomentum aromaticum superimponitur.

Die 6^a. Vires augentur, febris nulla est. Continuat gangraenae separatio.

Ad 10^{am} mensis Aprilis 1799, in integrum fere aeger restitutus est. Separati autem fuerunt, in pede dextro, trium ultimorum digitorum phalanges primae; in pede sinistro digitus minimus conservatus, vicini duo ad secundam phalangem separati fuerunt. Digitus primus a pollice, ipseque pollex sanati sunt. Falcris suffultus aeger per cubiculum incedit *).

*) Historiam hujus affectionis adnotavit *Martinus Schmidt*, Hungarus, Medicinae Candidatus.

Non tanti quidem ponderis, et satis ordinaria foret praesens observatio, nisi ab illa nobis, aliqua de praepediendis deleteriis frigoris effectibus dicendi porrigeretur occasio. Ex gelu moderato, in aegro nostro, gangraena pedum, non ob aliam rationem, quam quod calido sese hypocusto is promte nimis commiserit, insecuta est. Anno 1783 hiemali sub frigore, longe tamen rudiore, *Bruch-saliae*, ac vicinis in locis, octodecim circiter homines, ex eadem ratione, pedum gangraena correpti, partim mutilati, partim vero, proserpente ulterius malo, enecti fuerunt. Major populorum septentrionalium, circa funestos frigoris intensioris effectus, experientia, rariores apud illos hos redderet, nisi frequens apud plebem spirituosorum abusus hanc ipsam copiose nimis eluderet. Cum, quatuor per annos in *Russia* degentes, tam potentem morborum in causam non minus, quam in rationem, qua cœli inclementis incolae ab illa se defendent, oculos converterimus; non ignota quidem multis, sed majori tamen numero utilia proferre hic possumus.

Haud rarum est *Petropoli*, thermometrum *Reaumurii* hiemali tempore, ad gradum *trigesimum*, vel *trigesimum adeo secundum*, sub congelationis puncto, descendere. Per plures interdum dies hocce gelu, diversis *Siberiae* in provinciis longe adhuc intensius atque *constantius* continuat; plerumque tamen mitius, ac viginti quinque, sex gradus non superans. Quodsi tanta caloris detractio, magnam viventibus perniciem jam sola minetur; majorem adhuc subitanea illa, nullibique tam notabilis, atmosphaerae ex temperata, in gelidissimam transitio, et quasi saltus est. Haud raro, matutinas ad horas, sub gradu frigoris primo, vel altero, — ad vesperas, sub vigesimo reversuri, domu exivimus. Sub gradu quidem frigoris *decimo septimo*, ex lege, clauduntur theatra; sed iisdem minore sub gelu apertis, post horam unam alteramve, saepe thermometrum quinque sexve gradibus descendit, dum interea rhedarii non minus, quam equi, etsi *Petropoli*, maxima theatrum ambiente in area, foci amplissimi decem excelsis succensi flammis continuo crepitent, vix non congelant. Resistunt tamen, et saepe ultra, matutinas usque ad horas, perflatis undique gelidissi-

mis in atriis, hilari sub cantu, reluctantur istis aurigae, tum senes, tum decennes pueri; renituntur et equi per horas multas, media in glacie, nec avena refecti, nec ullo modo stragulis obtecti. Tanta scilicet contractae a primis vitae annis habitudinis firmique corporis habitus hunc bonum apud populum vis est atque potentia!

Nec tamen ideo subsidia, quae *artus* maxime defendant, *Russus* unquam postponit. Tunica quidem pellicia longior, corpus integrum, non tamien jugulum, quo usque illa non pertingit, sed quod anterius barba prolixe et profusa foveat, ac adumbrat, amplectitur. Pedum vero cura plebi longe est maxima: hos enim rustici, aurigae, operarii, multiplicibus cum pannulis vinciunt, tibialibus reticulatis involvunt firmantque, ac demum cum talaribus, ex pannulis intertextis paratis, custodiunt. Tunicarum manicas praeterea, super carpos extensis, sensibiores ad frigus has partes munijunt; manus vero chirothecis pelliciis, densioribus quidem, flexilibus tamen, excepto pollice indivisis, ac medium fere ad brachium anteriorius protensis, tuentur. Pileum, seu gale-

rum, coloris ad lubitum varii, circa frontem pelle villosa et nigra ornatum, superiora versus ampliorem et quadratum, stappa, vel et lana repletum, capiti simul ac auribus imponunt, omnemque sic frigoris effectum iniquum a calvaria avertunt.

Quodsi tamen, non obstante hac sollicitudine, intensissimo a gelu, aut nares aut genas auresque superficie quasi combustas, *albescere*, in localem asphyxiam transire, ac vicinam sibi, aut sociis gangraenam indicari conspiciant; ex momento aut nivem aut glaciem cum vola arripiunt, partesque sic affectas solerter ac frequentius in die perfificant, atque sic cum stimulo vel minimo, sed magis adaequato, summae cutis astheniae succurrunt, calorem in partes quasi syderatas naturalem revocant, et hac ratione cum remedio millenis in casibus comprobato, absque ulla formidine, gangraenam indubie avertunt. Pro suo vero in homines peregrinos quoscunque, instantis sibi a frigore admisso periculi ignaros, favore, vix albescentem Russiae incolae, ad nares, genas, vel aures illorum maculas insurgere conspiciunt; cum illico eosdem discriminis advertunt, de-

patrii necessitate remedii admonent; atque si, forsitan idiomatis russici ignari, aut sortis propriae minus solliciti, ad hoc auxilium non promptius recurrent; ipsimet fraternum hoc opus benigni suscipiunt, instansque periculum dispellunt. Sic virgo germana, *Petropoli*, sub cœlo rigidissimo, pedibus eleganter nimis calceatis, ter centos vix passus absolvit, cum, sub scalarum ascensu, pedem sibi sinistrum torpescere, et sub ingressu vix non deficere observat. Ridens illa, quod paucis a momentis claudicaret, amicam salutat. Haec vero, malorum ex frigore intenso non ignara, mox virginis incaute pedes tibialibus exui jubet, ac albescensem, ad sinistrum ex illis, maculam sat amplam reperiens, more patrio ingens pedis emorituri periculum avertit. Ultimo, quo e *Russia* discessimus, anno, mercator indigenus, cum urinam publica in platea lentius ac difficulter adversus ventum gelidissimum expelleret, summum ad genitalia frigus persensit. Domum interim reversus, et praegressi frigoris oblitus, anteriora corporis foco exponit; mox vero ab isto, penis gangraenam contrahit, ac partis hujus jactura multatur.

Magna certe saeculorum series requirebatur, donec dira necessitas hominem, quademum ratione se suamque prolem contra summam ac fere constantem cœli inclem-tiam defenderet, tandem edocuerit! meridionalis homo ipsius naturae filius praedilectus est; novercam haec agit in eum, qui, aut victus ab illo, aut ab adversa fortuna, aquilonares in regiones conjectus, et sale et farre privatus, nives inter et glaciem exsul vivere coactus fuit. Hunc interim, et ignis cœleste donum, et inexhausta mentis observandi experiundique dispositio, ab interitu servavit non modo, sed, corpore per labores, et ipsas atmosphaerae per injurias magis magisque firmato, facultate, qua propriam in fratre, blanditiis maternis enervato, exhausto, sortem vindicaret, et sua hunc haereditate frequentius expelleret, instruxit. Ab ipsa nempe cœli saevicie, quae fructus terrae nobiliores germinare prohibebat, aut progenitos ab ea, plenam ante maturitatem, jam crudeliter destruebat, tum plantas ac radices ad victimam sibi necessarias, tum ipsas animalium, venatu, aucupio, piscatuve enectorum, carnes, nivea quasi veste obvelari, et ab omni

corruptione conservari, borealis ille homo
mox edoctus fuit. Patrum suorum filiorum-
que dilectorum cadavera *Egyptus*, non sine
maximis impensis, in *mumias* convertere, ac,
dono satis vili, posteritati tradere didicerat;
glacialis vero maris venator, copiam aquati-
lium, brevissimo aestate eidem ereptorum,
sibi superfluam, ripae, mare ipsius ab un-
dis excavatae, immortalitatis sedi tutissi-
mae, confidit, post plures annos, in aeter-
num duratura, incorrupta protrahit, ac in
usus proprios convertit. Hunc vero in finem,
duce iterum longiore rerum experientia,
praedam, tot ab annis congelatam, aquae
frigidissimae primum committit, ac eidem,
contracto a frigore vix non coactae, novam
minusque frigidam superaffundit; donec ita,
duris antehac atque vix non saxeis carnibus,
naturalem, et qualis primae fuit victimae,
mollitiem restituat. Atque hujus beneficio
industriae, imperante licet hieme saevissi-
ma, victualium omnis generis animalium in
Russiae emporiis abundantia regnat. Huc
etenim, traharum ope, centenis a miliari-
bus advectae merces hujus indolis, — huc
boves integri, vituli, oves ac sues, — huc
pisces marium balthici, albi, et caspii, flu-

viales, lacustres, huc alces, cervi tarangi, seu rangiferi, — huc alites volucresque omnimodae, — singula vero sub statu congelationis rigentia, concurrunt, suae speciem resurrectionis ex frigida, et ignem culinarum exspectant.

Non mollis ignaviae hi, ac vitae mulierbris, quos sol meridianus excludit, fructus sunt; sed quidquid eorum nolenti naturae extorquetur quasi ac eripitur, Septentrionis id brachio carnoso non minus quam indefesso debetur; ac omnis, quae partes sub gelu vix non emortuas revocare docet, scientia, frigidissimis illius provinciis adscribenda est. Sic populus *Sibiricus*, ad partem corporis congelatam ad vitam et functiones amissas revocandam, fortiter eandem, ut dictum est, cum nive perficit. Vix aliqua hac in parte sensibilitas comparet; non amplius cum nive, sed cum frigida, haec frictio ab illo instituitur. Ubi brevioris durationis fuit congelatio, ac modo sub transitu ab uno habitaculo in alterum enata est; tunc, sicut in *Jakoutsk* in usu est, remedium magis promptum, in frictione partis affectae cum lanae portione consistit. Quodsi membrum per

tempus sat longum congelatum fuerit; tunc frictio non amplius cum nive, cum frigida, cum lana, perficitur; sed pars adfecta in tali casu nivibus, post istas vero, frigidae, *immergitur* diutius, atque his demum peractis, membrum perfricatur. Populi, quos *Jakoutski* vocant, et a quibus *Russiae* incolae hanc medendi methodum edocti fuerunt, postquam haec auxilia praemiserunt, mox partes, ante congelatas, cum excrementis vaccinis, aut cum argilla, aut cum utrisque inter se commistis, obducunt, qua ratione, et cujus topicī remedii subsidio, illius inflammatio subsequens praevertitur, ac tonus ejusdem restituitur. Tanta vero horum populorum hanc iū methodum ponitur fiducia, ut quoçunque sub itinere hiemali, quidquam longiore, ac ob gelū præmagnum ominoso, partes, quas frigori subducere haud queunt, hac specie cataplasmati obtegant, atque pro tempore custodiant *).

Non prorsus incognita exteris hucusque retulimus; non minoris vero ponderis sunt ea, quae nobis saltem, dum mense Maji 1808, *Moskwam*, antiquam *Russiae Metro-*

*) Vid. *Le Clerc*, histoire de la Russie ancienne. Tom. I,
p. 320.

polim, petiimus, nova fuerunt. Ante sex tunc annos, Principis a *Galitzin* munificentia, palatum, magnifice exstructum et amplum, pauperibus pro nosocomio concessum, atque cum omnibus hunc ad finem necessariis, redituque annuo, pro 110 aegris plus quam sufficiente, instructum fuit *). Ab utrisque hujus nosodochii medicis et chirur- gis egregiis, Doctoribus *Mouchin*, et *Kryloff*, humanissime excepti, praeter alia, quae hoc in liberali miserorum hospitio notatu digna conspeximus, aegros duos, quorum pedes a gelu, per gangraenam, ad medium usque mutilati fuerant, observavimus. Fre- quenter, quavis hieme, haec infortunia il- lis praecipue, qui, ebrietate correpti, tar- dius in plateis concidunt, perque horas, a nemine praetereuntium animadversi, jacent ac obdormiunt, hic loci, sicut *Petropoli*, con- tingere, nobis refertur; simulque novam si- bi, jam aliquot ab annis, huic malo, jam plurimum neglecto, quoad ob sphacelum, jamjam praesentem licet, medendi rationem, et quidem hucusque inter omnes felicissi- mam, aequa ac simplicissimam, in usu esse,

*) Sumtus anni hujus nosodochii, ad 30,000 et 40,000 Rubellionum ascendunt.

expertissimi hi viri exponunt. „Quando pri-
mum scilicet aeger, inquiunt, ad nosoco-
mium cum gangraena, per congelationem
partis inducta, defertur, parsque sphacelata
reliquis a carnibus separata fuit; ulcus ad
istas relictum, continuo, ac donec cicatrix
id omne obtexerit, *cum glacie* fovemus, at-
que sic dolores non minus, quam reliquam
in parte, suspectam semper, inflammatio-
nem, ac abundantem nimis puris formatio-
nem, cum ingratis ejusdem effectibus, pree-
vertimus. Ulceris ipsius confinibus, seu lim-
bis, linteola oblonga, cerato obducta, ne
lintea carpta illis sese nimis adglutinent,
circum circa imponimus. Filis tunc, ex lin-
teo carptis, absque omni unguento et siccis,
cum fascia, ulceri adplicitis, glacies conti-
nuo, et, quoties haec fusa est, nova admo-
vetur. Ablatis vero semel in die, nec ultra,
fasciis, aqua frigida, ope spongiae, ulceri ex
alto superius inspergitur. Aegri, ob sum-
mum, quod abinde experiuntur, levamen
symptomatum, hanc frigidae insersionem
lubentur ipsimet suscipiunt.“ Ac revera,
nostra in praesentia, uterque aeger, et fas-
ciam, et filos carptos, a plaga pedum, jam-
jam purissima et laete rubente, magna vero

jam ex parte pulchra cicatrice obducta, de-
mebat, frigidamque, cum quadam volupta-
te, maxima vero cum animi, in tantum re-
medium, gratitudine, pedibus, super pati-
nam, quae aquas decadentes exciperet, sus-
tentatis, copiosam superinstillabat.

Minora quidem, sub cœlo apud nos cle-
mentiore, malorum similium pericula nos
premunt; non tamen ista, rigidiore aliquan-
do sub hieme, inter pauperes, et ruricolas,
maxime autem inter milites, nostro aevo
medias inter nives et glaciem castra ponere
ac belligerare assuetos, tam inaudita sunt,
ut prolixior eorum, quae frigoris partialis
effectibus tum praepediendis, tum etiam
cum successu felici pertractandis, conveni-
ant, expositionem, etsi non in omnibus no-
vam, hic excusandam habeamus.


Tabulae No. VII.


Ad primum volumen *Interpretationum clinica-*
rum spectantes.


IV. oīt obfide

οντις μακάρων επιτελού τιμῶν δι
ατησθενεῖσιν

Tab. V.









Tab. VII.






Tab. I.










Tab. III.





Tab. IV.

